This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

HD WIDENER
HW JMID Z

C 9326.557

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF

JOHN HARVEY TREAT

OF LAWRENCE, MASS.

CLASS OF 1862

594

175

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
SANCTÆ ECCLESIÆ
MASSILIENSIS.

Jussu Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. CAROLI-FORTUNATI DE MAZENOD, nunc denuò aucta, emendata, et ad meliorem formam redacta.

MASSILIÆ,
Ex typis JOANNIS MOSSY, Regis et DD. Episcopi Typographi.

M. D. CCC. XXIV.

Digitized by Google

C9478.24
C9326.557
HARVARD COLLEGE LIBRARY
TREAT FUND
CHARTRAND COLLECTION
JUNE 8, 1928

Digitized by Google

CAROLUS FORTUNATUS DE MAZENOD,

Miseratione Divinâ, et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus Massiliensis.

Dilectissimo nobis in Domino, Clero nostræ Diœcesis; Salutem et Benedictionem.

QUò primùm tempore ad Episcopalem Massiliæ sedem, Dei gratiâ, et Apostolicæ Sedis auctoritate restitutam, assumpti sumus; inter varias pastoralis regiminis curas, nihil antiquius habuimus quàm ut divini officii recitatio sanctorumque mysteriorum celebratio eâ devotione et attentione perageretur, quæ

Digitized by Google

eorum dignitati et sanctitati convenientior, simulque fidelium ædificationi magis proficua et utilis foret. Idcircò Breviarium S. Romanæ Ecclesiæ, cum quibusdam levis momenti additionibus, vel mutationibus, quæ usu jam invaluêre, solum in nostrâ Diœcesi receptum et usitatum esse voluimus : simulque ad normam Breviarii Romani, Officia propria Sanctorum Diœcesis Massiliensis, cum missis ad ipsa Officia respondentibus, componenda, aut reformanda curavimus. Cùm verò liber proprius Diœcesis rarior in dies fieret, et in eo, plurimis mendis scatente, Sanctorum Officia non satis accurratè selecta, et digesta fuisse viderentur, nova ejusdem editio expectabatur. Hanc Dilectissimo nobis in Domino Clero Massiliensi, piisque fidelibus exhibemus, per quatuor anni partes, pro majori recitantium commoditate, distinctam; ut in præsenti libro Officia Sanctorum Massiliensium, et alia, quæ ad Christi Domini nostri et Sanctissimæ ejus matris cultum duximus adjungenda, sincero vocis et cordis affectu persolvere possint. Proprium Missarum Diœcesis nova pariter editio supplebit, quæ præsentis decreti auctoritate firmata, in singulis hujus nostræ Diœcesis Ecclesiis erit servanda. Præcipuæ verò correctiones, et additiones quibus nova hæc editio à veteri libro distinguitur, quasque ab omnibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis, in Officio et Missâ servari statuimus, sunt sequentes. Scilicet

I. Officia S. Lazari, primi Episcopi, et principalis patroni Diœcesis, sive in ejus Natali, sive in Resurrectione, sive in Solemni-

Digitized by Google

tate, eumdem ritum obtinebunt ac in veteri proprio. Festivitas S. Lazari, die 31 Augusti, erit I. classis, cum octavâ. Reliquæ duæ erunt II. classis. In festo Martyrii, et in Solemnitate color paramentorum erit rubeus; sed in Resurrectione adhibebitur color albus. Cæterum prædicta Officia, pro dignitate Patroni, propriis antiphonis et hymnis digesta fuere, et ampliata.

II. Dominicâ infrà octavam S. Lazari, fiet commemoratio solemnis omnium SS. Episcoporum, qui antiquam Massiliæ Sedem retroactis sæculis illustrârunt.

III. Festa Patronorum Diœcesis minùs principalium, scilicet, S. Victoris, et SS. Magdalenæ et Marthæ, sororum S. Lazari, erunt II. classis pro universâ Diœcesi; et in missâ addetur *Credo*. Item, addetur *Credo* in Ecclesiis in quibus asservatur insignis Reliquia Sancti de quo Missa eo die celebratur.

IV. Officia SS. Theodori, Sereni, Cannati, et Maurontis, Episcoporum Massiliensium, sub ritu duplici majori recitabuntur propriis diebus. Sed in Ecclesiâ Cathedrali erunt II. classis, et in missâ addetur *Credo*, cum præfatione, quæ inter novas assignatur *pro Titulari Ecclesiæ*.

V. Festa SS. *Sereni* Episcopi Massiliensis, *Defendentis* et sociorum Martyrum, *Eusebiæ* et sociarum Virginum et Martyrum, quæ in veteri proprio singulis Dominicis erant affixa, ne sæpiùs Dominicale prætermittatur officium, iis deinceps diebus celebrabuntur, quibus in kalendario Diœcesis notata reperiuntur.

VI. Ut Sacratissimi Cordis Domini nostri

Digitized by Google

Jesu-Christi devotio et cultus in Massiliensium Cordibus foveatur et augeatur, ejusdem divinissimi Cordis votivam festivitatem sub ritu duplici I. classis cum octavâ privilegiatâ celebrari mandamus; et ultimâ die octavæ recitabitur peculiare officium duplex majus, *De vitâ interiore Domini nostri Jesu Christi.*

VII. Festum omnium Sanctorum Diœcesis Massiliensis, quod Ill. et Rev. D. Episcopus Henricus de Belzunce instituit ad excitandum et augendum in suâ Diœcesi spiritum fidei, primùm ex decreto ejusdem Episcopi celebrabatur Dominicâ quartâ Januarii. Postmodùm de eo agi cœpit Dominicâ post octavam omnium Sanctorum, secundâ, scilicet, aut tertiâ Novembris. Tandem pro illâ festivitate Rev. D. Champion de Cicé Archiepiscopus Aquensis, ab anno 1803, Dominicam assignavit quæ est infrà octavam, vel ipsâ die octavâ Omnium Sanctorum. Ad quam Dominicam hoc festum deinceps manere affixum volumus, et mandamus.

VIII. Festum Repositionis SS. Reliquiarum quæ, tàm in Ecclesiâ cathedrali quàm in aliis Ecclesiis Diœcesis, venerantur; quod ex veteri proprio agebatur die 20 Junii, deinceps convenientiori loco, ipsâ die octavâ Omnium Sanctorum, celebrabitur. Quando verò dicta octava venerit in Dominicâ; tunc in ipsâ Dominicâ fiet de festo Sanctorum Diœcesis, et festum SS. Reliquiarum illo anno celebrabitur pridiè, id est, Sabbato infrà octavam.

IX. Reliqua Sanctorum Officia, vel propria Diœcesis, vel Breviarii Romani, sed in hac Diœcesi ad alios dies translata et fixa, recita-

Digitized by Google

buntur, ut in kalendario Diœcesis reperiuntur descripta.

X. Feriis sextis Quadragesimæ, in hac Diœcesi recolenda veniunt mysteria passionis Domini et Salvatoris nostri Jesu-Christi, de quibus singula officia sub ritu duplici majori suis diebus recitabuntur.

XI. Sacerdotium Domini nostri Jesu-Christi solemni officio recoletur, Feriâ tertiâ infrà octavam Corporis Christi.

XII. Omnium Sanctorum Reginæ specialem profiteri devotionem, et Patrum auctoritas, et Sanctorum exempla nos docent. Quapropter officium B. Mariæ in Sabbato, quod simplex per annum occurrit, deinceps in hac Diœcesi recitandum erit sub ritu semiduplici, cum lectionibus II. et III. nocturni per singulos menses appositis, ut in rubricâ explicatur, quæ supradicta officia antecedit.

XIII. Patrocinium S. Joseph, Sponsi B. Virginis Mariæ, quod pluribus in locis, Dominicâ III. post Pascha, celebratur, huic proprio adjunximus, unicum habens nocturnum, juxtà Rubricam nostræ Diœcesis, pro tempore Paschali.

XIV. Cùm hac nostrâ ætate, B. Alphonsus Maria de Ligorio, S. Agathæ Gothorum Episcopus dignus habitus sit qui ob egregias virtutes, et zelum salutis animarum, omnibus Ecclesiasticis exemplar proponatur; post enixas preces super eo ad Summum Pontificem directas, ex indulto Apostolico SS.mi Domini nostri Leonis Papæ XII., juxtà tenorem decreti sacræ rituum congregationis,

Digitized by Google

nobis concessum est, ut officium B. Alphonsi Mariæ de Ligorio, nuper à felic. record. Papa Pio VII. inter Beatos adscripti, à Capitulo et Canonicis, nec non Clero Ecclesiæ Cathedralis tantùm, recitari possit; missaque in ejus honorem celebrari, die 2. Augusti, sub ritu duplici minori. Item, Missam de eodem Beato solemniter celebrandi facultatem, earumdem litterarum virtute, concedere possumus iis Ecclesiis quæ B. Alphonsi Mariæ festivitatem die 2. Augusti peragere, pro suâ devotione postulaverint.

Denique omnia officia præsenti decreto memorata, aut non memorata, fient juxtà gradum et ritum quem, vel ex veteri proprio retinuerunt, vel in novo obtinuerunt. Idem intelligendum de missis, quæ singulis officiis attributæ sunt; ità ut rubricis per quas officiorum, vel missarum gradus, et recitandi modus enunciatur, quasque speciali approbatione sanximus, plena fides adhibenda sit.

His igitur ità dispositis, et omnibus maturè perpensis, præsenti nostro decreto mandavimus, et mandamus omnibus et singulis de Clero nostro, ut Officia propria Sanctorum sivè publicè, sive privatim, non alio modo, vel ritu recitent, quam illo quem pro nostrâ Diœcesi selegimus et probavimus. Sed potiùs studeant Clerici et Sacerdotes, Officia in honorem supremi Sacerdotis Jesu-Christi, immaculatæ Virginis Matris, Sanctorumque indigenarum et concivium suorum devota mente persolvere, ut super populum fidelem copiosas evaleant orationibus

Digitized by Google

suis gratias derivare. *Quoniam Rex omnis terræ Deus, Deo et Regi nostro psallant sapienter*; et ejus qui *exauditus est pro suâ reverentiâ*, quàm reverenter poterunt laudes dicant.

DATUM Massiliæ, in nostro Palatio Episcopali, sub signo Sigilloque nostro, ac Secretarii Episcopatûs Subscriptione; Die 10 Augusti, anno Domini 1824.

† CAROLUS-FORTUNATUS,
Episcopus Massiliensis.

De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Episcopi Massiliensis.

GIUSTINIANI, Canonicus,
Secretarius generalis.

Digitized by Google

MARTYROLOGIUM

SANCTÆ ECCLESIÆ MASSILIENSIS.

Die XXIV. Januarii.

Nono Kalendas Februarii, Luna.....

(Pronuntiatur quota fuerit, juxtà litteram Martyrologii pro anno currente.)

MAssiliæ, Translatio S. Victoris Martyris. *Deindè dicitur :* Natalis S. Timothei, etc.

Die III. Februarii.

Tertio Nonas Februarii, Luna.....

MAssiliæ, ordinatio S. Theodori, ejusdem Civitatis Episcopi, et Confessoris, qui pro Dei honore, et Ecclesiasticâ disciplinâ tuendâ, multa mala perpessus, tandem quievit in pace; Kalendis Januarii. *Posteà dic.* Sebaste, in Armeniâ.

Die I. Martii.

Kalendis Martii, Luna.....

MAssiliæ, Sanctorum Martyrum Adriani et Hermetis. Romæ Sanctorum Martyrum ducentorum, etc. *Sed dictis* aliorum novem, *dicitur statim*, Heliopoli, Sanctæ Eudociæ.

Digitized by Google

Feriâ VI. post Domin. IV. Quadragesimæ.

Post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem.

Dies Indulgentiarum; Commemoratio Resurrectionis S. Lazari, primi Massiliensium Episcopi; nec non Translatio Reliquiarum ejusdem; quæ Augustoduno Massiliam asportatæ, et Thecâ argenteâ, ab Illustrissimo et Reverendissimo Antistite Massiliensi, inclusæ, ab eo solemniter in Ecclesiâ Cathedrali repositæ sunt; die nonâ Martii, Anno suprà millesimum septingentesimo trigesimo primo.

Itemque alia Translatio insignis Reliquiæ S. Lazari ab Ill. et Rev. D.D. Episcopo Carolo-Fortunato de Mazenod solemniter facta, secundâ Aprilis die, Anno millesimo octingentesimo vigesimo quarto.

Si ipsâ die occurrat festum Annunciationis, tunc primo loco pronunciatur : Annunciatio Beatissimæ, etc.

Die V. Maii.

Tertio Nonas Maii, Luna....

Inventio S. Mariæ Magdalenæ, quæ Christum Salvatorem à mortuis resurgentem prima videre meruit. *Deindè dicitur* : Romæ, Sancti Pii V.

Digitized by Google

Die VIII. Junii.

Sexto Idus Junii, Luna.....

SAncti Maximini, primi Aquensium Episcopi, qui à Judæis Evangelio Christi infensis, una cum B. Lazaro, in exilium ejectus est; Sed Massiliam appulsus, finitimis regionibus Christianæ fidei semina importavit. *Et statim dicitur :* Eodem die S. Calliopæ.

Feriâ III. infrà octavam Corporis Christi.

Post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem.

FEstum divini Sacerdotii Domini nostri Jesu-Christi.

Feriâ VI. post octavam Corporis Christi.

Post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem.

FEstum Sacratissimi Cordis Domini nostri Jesu-Christi, ab Illustrissimo ac Reverendissimo Henrico Francisco Xaverio Massiliensi Episcopo institutum, in gratiarum actionem pro cessatione pestis; nec non in memoriam consecrationis Civitatis et Diœcesis Massiliensis huic Sacratissimo Cordi, factæ ab eodem Episcopo, die primâ Novembris, anni millesimi septingentesimi vigesimi.

Feriâ

Digitized by Google

Feriâ VI. hebd. IV. post Pentecosten.

Post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem.

OCtava Sacratissimi Cordis; et Festum Vitæ interioris Domini nostri Jesu-Christi.

Die XXI. Julii.

Duodecimo Kalendas Augusti, Luna.....

MAssiliæ, Natalis Sancti Victoris, qui cùm esset miles, et nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primò in carcerem trusus, ibique ab Angelo visitatus, cruciatibus punitus, novissimè contritus in molâ pistoriâ Martyrium consummavit. Passi sunt cum eo et tres milites, Alexander, Felicianus, et Longinus. Ad quorum sepulchrum puer Christianus nomine Deutherius orans, in ipso orationis fervore innocentem animam efflavit. Romæ Sanctæ Praxedis, etc. *sed post* Danielis Prophetæ, *dicitur statim* Trecis, S. Juliæ.

Die XXIII. Julii.

Decimo Kalendas Augusti, Luna.....

SAncti Joannis Cassiani Presbyteri, primi Abbatis et fundatoris Abbatiæ S. Victoris Massiliensis, discipuli Beati Joannis Chrysostomi. Natalis sancti Apollinaris, etc.

Digitized by Google

Die IX. Augusti.

Quinto Idus Augusti, Luna.....

Vigilia S. Laurentii Martyris. Massiliæ, Sancti Sereni ejusdem Urbis Episcopi et Confessoris; cujus sepulchrum apud Blanderatum, Diœcesis Vercellensis oppidum, crebris hactenùs miraculis illustratur. *Posteà dicitur*, Romæ, S. Romani, militis.

Die XVI. Augusti.

Decimo septimo Kalend. Septembris, Luna.....

IN Galliâ Narbonensi apud Montem Pessulanum; depositio Beati Rochi Confessoris, qui multas Italiæ Urbes à morbo epidemiæ signo Crucis liberavit: cujus corpus Venetias posteà translatum, et in Ecclesiâ ejus nomine consecratâ honorificentissimè conditum fuit. *Deindè*: Cracoviæ, in Poloniâ. *Sed post* Deo reddidit, *statim dicitur*: Romæ S. Serenæ.

Die XIX. Augusti.

Quarto decimo Kalend. Septembris, Luna.....

IN Provinciâ, apud Castrum Brincolam, depositio sancti Ludovici Episcopi et Confessoris, Ordinis Minorum, vitæ sanctitate et miraculis clari; cujus corpus indè Massiliam translatum, in Ecclesiâ ejusdem Ordinis Fratrum Minorum honorificè conditum est. Romæ

Digitized by Google

S. Julii, etc. *Sed post* necatus est, *dicitur statim :* In Galliâ, in pago Sigisterico.

Die XXXI. Augusti.

Pridiè Kalendas Septembris, Luna.....

SOlemnitas Sancti Lazari, Christi Domini Discipuli, quem ipse Dominus in Evangelio à mortuis suscitasse legitur ; qui primus Massiliensium Episcopus creatus, cùm verbi prædicatione, et vitæ cœlestis exemplis, plurimos ad Christum convertisset, ab Infidelibus tentus, idolis sacrificare recusans, post varia tormenta ad ultimùm capite truncato, Martyrium consummavit. *Et dicitur statim :* Cardonæ in Hispaniâ, S. Raymundi.

Dominicâ infrà octavam S. Lazari.

Post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem.

COmmemoratio Solemnis omnium Sanctorum Pontificum, qui Episcopalem Massiliæ Sedem retroactis sæculis illustrârunt.

Die VII. Septembris.

Septimo Idus Septembris, Lunâ.....

OCtava Solemnitatis S. Lazari. Nicomediæ, Natalis S. Joannis.

Digitized by Google

Die XXV. Septembris.

Septimo Kalendas Octobris, Luna.....

MAssiliæ commemoratio Sanctorum Martyrum Defendentis et sociorum militum, qui in eâdem Civitate, pro Fide Christi, diris affecti suppliciis, gloriosum agonem feliciter consummârunt. Eorum Corpora à Beato Theodoro Massiliensium Episcopo reperta die decimâ quintâ Septembris, in Ecclesiam ab eodem pio Antistite extructam honorificè translata sunt. *Posteà dicitur* : In castello Emmaüs.

Die III. Octobris.

Quinto Nonas Octobris, Luna.....

SAncti Cypriani, Episcopi Telonensis, et Confessoris. *Posteà dicitur* : Romæ, ad ursum pileatum.

Die XI. Octobris.

Quinto Idus Octobris, Luna.....

MAssiliæ Commemoratio Sanctarum Virginum, Eusebiæ Abbatissæ, et sociarum ejus quadraginta Monialium, Martyrum. *Posteà dicitur* : Tarsi, in Ciliciâ, Natalis.

Digitized by Google

Die XV. Octobris.

Idibus Octobris, Luna.....

SAncti Cannati, Episcopi et Confessoris, qui ex eremo ad Pastoralis regiminis curam, divinâ voluntate, accitus, Massiliensem Ecclesiam sanctissimè gubernavit. *Posteà dicitur :* Abulæ, in Hispaniâ.

Die XXI. Octobris.

Duodecimo Kalendas Novembris, Luna.....

SAncti Maurontis, Massiliensium Episcopi, et Confessoris. Apud Coloniam Agrippinam Natalis SS. Ursulæ et sociarum ejus, quæ pro Christianâ Religione, et Virginitatis constantiâ ab Hunnis interfectæ, Martyrio vitam consummârunt; et plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt. Massiliæ verò earum festum posterâ die, vigesimâ secundâ Octobris, celebratur. In Cypro natalis sancti Hilarionis Abbatis; cujus vitam, virtutibus atque miraculis plenam, sanctus Hieronymus scripsit. *Deindè*, Apud Ostia tiberina.

Dominicâ infrà Octavam Omnium Sanctorum.

Post Kalendarum et Lunæ pronunciationem.

FEstum Omnium Sanctorum qui in Ecclesiâ et Diœcesi Massiliensi, sanctæ conversationis exemplo præluxerunt, ibique Patroni et assertores fidei invocantur.

Digitized by Google

Die VIII. Novembris.

Sexto Idus Novembris, Luna.....

Octava Omnium Sanctorum. Repositio Sacrarum Reliquiarum, quæ in Ecclesiis Civitatis et Diœcesis Massiliensis asservantur. *Posteà dicitur :* Romæ, viâ Lavicanâ.

* *Si celebretur in Sabbato, tunc pronunciatur :*

Septimo Idus Novembris, Luna.....

Repositio Sacrarum Reliquiarum, *et statim dicitur :* Patavii depositio.

Die XVII. Decembris.

Sextodecimo Kalendas Januarii, Luna.....

Massiliæ in Galliâ, Natalis sancti Lazari, quem Dominus in Evangelio à mortuis suscitasse legitur : qui primus Massiliensium Episcopus creatus, cùm verbi prædicatione, et vitæ cœlestis exemplis plurimos ad Christum convertisset, ab Infidelibus tentus, Idolis sacrificare recusans, ad ultimùm capite truncato, martyrioque consummato, migravit ad Christum. *Deindè*, Eleutheropoli, etc. *sed post*, occisi sunt. *Dicitur statim :* Bigardis, propè Bruxellam.

Digitized by Google

INDEX PROCESSIONUM

Quæ annuatìm fiunt à S. Ecclesiâ Massiliensi.

I.

Die XXV Aprilis. In festo S. Marci Evangelistæ, Processio generalis Litaniarum majorum, horâ septimâ, post officium primæ. Eo die Statio fit ad Ecclesiam S. Cannati, quæ quondam fieri solita erat ad Ecclesiam B. Mariæ de Accuis ; ibique missa celebratur.

II.

Feriâ 2. Rogationum, horâ septimâ, post officium primæ (et sic duobus diebus sequentibus) processio generalis, cujus Statio fit et Missa celebratur in Ecclesiâ Succursali S. Laurentii Martyris.

III.

Feriâ 3. Rogationum. Processio generalis. Statio et Missa in Ecclesiâ Parochiali S. Martini.

IV.

In Vigiliâ Ascensionis. Processio generalis. Statio et Missa in Ecclesiâ olim Abbatiali S. Victoris Martyris.

V.

Die III Maii, In festo Inventionis S. Crucis, horâ quartâ pomeridianâ, Processio genera-

Digitized by Google

lis et Statio ad Crucem Missionis, seu Calvariæ locum.

VI.

In festo Corporis Christi, post Vesperas, horâ quintâ, Processio generalis.

VII.

In festo Sacratissimi Cordis Jesu, post Vesperas, horâ quintâ, Processio generalis.

VIII.

In festo Assumptionis B. M. V., post Vesperas, horâ quintâ, Processio generalis.

IX.

In Solemnitate S. Lazari, die 31 Augusti; post Vesperas, horâ quintâ, Processio generalis.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
S. MASSILIENSIS ECCLESIÆ.

PARS HYEMALIS.

Die XVII. Decembris.

Natalis SANCTI LAZARI, *primi Episcopi Massiliensis et Martyris.* Duplex II. classis.

In primis Vesperis non fit commemoratio S. Eusebii, sed tantum feriæ Adventûs. In secundis autem fit commem. Expectationis B. Mariæ Virg. et feriæ Adventûs, per antiphonam : O Sapientia.

Si hoc festum venerit in Dominicâ Adventûs, transfertur in feriam tertiam; et tunc in primis Vesperis fit commem. Expectationis B. M. V. et feriæ Adventûs, per ant. O Adonaï ; *et in secundis, feriæ tantum, per ant.* O Radix.

Digitized by Google

AD VESPERAS.

Antiphona.

APprehendi te ab extremis terræ, et à longinquis ejus vocavi te; et dixi tibi: Servus meus es tu: elegi te, et non abjeci te.

Ps. Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Nunc ego mitto te, aperire oculos cæcorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, et de potestate Satanæ ad Deum.

Ant. Scient omnes quia ego dilexi te; quoniam servasti verbum patientiæ meæ.

Ant. Ecce præcipio tibi: Confortare et esto robustus; quoniam tecum est Dominus Deus tuus.

Ant. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.

CAPITULUM. 2. *Petr.* 1.

FRatres: Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

HYMNUS.

JAm sacrata redit martyrio dies,
Qua grátus ánimi Lázarus, hóspiti
Christo bis fluidum córpore sánguinem
Certat morte refúndere.
Artus dilacerant pectine férreo
Loricis cruciant ília flammeis

Digitized by Google

Telis impetitur, nec perimi potest
Ni sacrum caput amputent.
Surgit quanta tibi de nece gloria!
Urbs tot signa tuis funeribus stupens,
Jamque exosa deos ludicra numina,
Unum sancta colit Deum.
Aras impietas quas sibi struxerat,
Tutas terribili numine Cæsaris,
Nudi sola fides præsulis eruit,
Armis fortior omnibus.
Dum nox atra premit numina Cæsaris,
Nomen dulce tuum, Lazare, concinit
Plebes Massiliæ. Vivis, et omnibus
Sæclis tu celebrabere.
Cœlo quos genuit pontificis cruor
Nos, o Phocaici, fundere sanguinem
Quando, pace datâ, non licet, hunc juvet
Saltem moribus assequi.
Da te, summe Pater, tollere laudibus.
Da te, Christe, sequi, laurea martyrum.
Per te, Numen amor, frigida pectora
Sacris ignibus ardeant. Amen.

℣. Anima mea Deo vivet;
℟. Et semen meum serviet ipsi.

Ad Magnificat.

Antiph. Nemo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt. Dominus autem mihi adstitit et confortavit me.

ORATIO.

DEus qui Beato Lazaro Christi discipulo dedisti piæ confessionis inter tormenta virtutem; largire nobis inter mundi tentamina ejus constantiam æmulari, ut coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per eundem.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Regem qui amicum hodiè coronavit Lazarum, * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUis te, Sancte Senex, quis furor impetit?
Cur plebs immeritam te rapit ad necem?
Quin illos gravitas, aut venerabilis
Canorum moveat decor.
Urbem per mediam victima nobilis
Raptaris, lacero corpore pulchrior.
Dum fers tanta siles: corporis immemor
Cœlum mente præveras.
Quo te cumque furor barbarus abripit,
Fusus vulneribus signat iter cruor;
Quo sparso, veluti semine, lætior
Surgit Christiadum seges.
Si te nostra movent, Lazare, fletuum
De convalle tuos eripe filios:
Et quæ parta tibi sanguine laurea,
Hanc da moribus assequi.
Da te, summe Pater, tollere laudibus.
Da te, Christe sequi, laurea martyrum.
Per te, Numen amor, frigida pectora
Sacris ignibus ardeant. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. In tentatione inventus est fidelis; et reputatum est ei ad justitiam.

Psalmi nocturnorum sumuntur de comm. unius Martyris.

Ant. Majores divitias æstimavit improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem.

Digitized by Google

Ant. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

℣. Scapulis suis obumbrabit tibi Deus,

℟. Et sub pennis ejus sperabis.

Absolutio. Exaudi Domine, *ut in Psalt.*

Benedictio. Benedictione perpetuâ.

De Actibus Apostolorum.

Leotio j. Cap. 20.

A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ. Qui cùm venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis à primâ die quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum : quomodò nihil subtraxerim utilium, quominùs annuntiarem vobis, et docerem vos publicè, et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in eâ ventura sint mihi, ignorans : nisi quòd Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor : nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodò consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

℟. Certamen forte dedit illi Dominus, * Ut vinceret, et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. ℣. Non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo. Ut vinceret.

Digitized by Google

Benedict. Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum.

℣. Deus à peccatoribus liberavit eum, * Descenditque cum illo in foveam et in vinculis non dereliquit illum. ℣. Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus. Descenditque.

Benedict. Spiritûs sancti gratia.

Lectio iij.

ET nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis; quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere. Et cùm

Digitized by Google

hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maximè in verbo quod dixerat, quoniam ampliùs faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

℟. Intuens quemadmodum oporteret accedere ; patienter sustinens, * Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem. ℣. Confessus bonam confessionem coram multis testibus. Destinavit. Gloria Patri. Destinavit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Assistens ei Dominus ait : Constans esto. Sicut testificatus es de me, sic te oportet adhuc testificari.

Ant. Nihil horum vereor ; nec facio animam meam pretiosiorem quam me.

Ant. Ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ.

℣. Mirificavit Dominus Sanctum suum.

℟. Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

Absolutio. Ipsius pietas.

Bened. Deus Pater omnipotens.

Lectio iv.

LAzarus è Bethaniâ, clarus genere, sed virtute nobilior, Martham et Mariam sorores habuit. His Christum Jesum hospitio frequenter excipientibus, eundem pariter cordis hospitio excepit Lazarus, et à suo vicissim exceptus hospite, inter amicos adscriptus est. Contigit autem, absente Christo, Lazarum gravius infirmari : de cujus valetudine sollicitæ

Digitized by Google

sorores, miserunt qui hospiti suo de amici periculo nuntiaret. Quo audito Jesus, dum ad Lazarum venire differt, inter moras, ille diem suum ultimum obiit. Ubi verò Christus accessit et amicum mortuum vidit, ad hoc spectaculum et sororum dolorem infremens, fusis lacrymis, quatriduanum et jam fœtentem, de monumento, magnâ voce inclamans, suscitavit.

℟. In quocumque loco fueris, Domine * Sive in morte, sive in vitâ; ibi erit servus tuus. ℣. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Sivè in.

Bened. Christus perpetuæ.

Lectio v.

HOc prodigio cùm Christi virtus et doctrina manifestiùs cunctis clarescerent, id ægris oculis excipientes Judæi, Lazaro, ejusque sororibus parant exitium. Et ne tam stupendi miraculi testes usquam conspicerentur, unà cum Marcellâ, Maximino, aliisque christianis, in vetustam navem sine velo, sine remigio, sine viatico impositos, vastissimo mari committunt; ut omnes vel inedia, vel naufragium certum absumeret. Sed navis Deo adgubernante, salvis omnibus, Massiliam appulsa est: ubi Massiliensium Episcopus creatus Lazarus, verbi prædicatione et vitæ cœlestis exemplis, plurimos ad Christum convertit.

℟. Mendaces ostendit qui maculaverunt eum, * Et dedit illi claritatem æternam Dominus Deus noster. ℣. Oppressum à nefandorum injuriâ eripuit eum Deus: aspectu enim et auditus justus erat. Et dedit.

Digitized by Google

Bened. Ignem sui amoris.

Lectio vj.

CUm autem annos circiter triginta tenellum gregem Evangelicæ doctrinæ pabulo nutrivisset, tentus tandem ab infidelibus, Proconsuli sistitur; à quo vel idolis sacrificare, vel mori compulsus, respondit amicum se habere, cujus potentiâ fuerat semel à morte revocatus in vitam, et pro quo mortem subire denuò non recuset. Pectinibus itaque ferreis laceratus, ignitâ etiam loricâ circumdatus, et crate ferreâ tostus, cùm superari non posset, jussus est sagittis configi; sed illæsus perseverans, ad ultimùm capite truncatus, consummato martyrio, migravit ad Christum, anno salutis circiter otogesimo.

℟. Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus es; * Sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. ℣. Fortitudo mea et laus mea Dominus; et factus est mihi in salutem. Sicut solent. Gloria Patri. Sicut solent.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Propter opus Christi accessit usque ad mortem tradens animam suam.

Ant. Mundus obiit per omnia in Domino confidens.

Ant. Semen ipsius obtinebit hæreditatem; quia bonum est obsequi Sancto Deo.

℣. Susceptor meus es tu et refugium meum.

℟. Deus meus, sperabo in eum.

Digitized by Google

Absolutio. A vinculis.

Bened. Evangelica lectio.

Lectiõ Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 49. *de cap.* 11. *Joann.*

DIcit Martha soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet; quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quia si credideris, videbis gloriam Dei? Quid est videbis gloriam Dei? Quia et putentem et quatriduanum resuscitat. Omnes enim peccaverunt, et egent gloriâ Dei : et ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia. Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.

℣. Tentationem permisit Deus evenire illi, * Ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus. ℣. Deduxit eum Dominus per vias rectas : honestavit eum in laboribus, et complevit labores illius. Ut posteris.

Bened. Cujus festum colimus.

Lectio viij.

HÆc cùm dixisset, magnâ voce clamavit. Fremuit, lacrymatus est, voce magnâ clamavit. Quàm difficilè surgit, quem moles malæ consuetudinis premit! sed tamen surgit; occultâ gratiâ intus vivificatur; surgit post vocem magnam. Quid est factum? Voce mag-

Digitized by Google

nâ clamavit : Lazare veni foras ; et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis ; et facies illius sudario erat ligata. Quomodo processit ligatis pedibus miraris, et non miraris quia surrexit quatriduanus ? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui.

℣. Beatus vir qui suffert tentationem ; quoniam cùm probatus fuerit. ℟ Accipiet coronam vitæ. ℣. In laboribus plurimis fuit, in carceribus, in plagis suprà modum. Accipiet. Gloria Patri. Accipiet.

Bened. Ad societatem.

Lectio ix.

PRocessit et adhuc ligatus est : adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat ? Quando contemnis, mortuus jaces : et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces : quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo se manifestare ? Sed ut confitearis, Deus facit, magnâ voce clamando, id est magnâ gratiâ vocando : ideò cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, Ministris hoc dixit Dominus : Solvite illum, et sinite abire. Quid est : Solvite et sinite abire ? *Quæ solveritis in terrâ, soluta erunt in cœlo.* Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. Non omnes ex Judæis qui convenerant ad Mariam crediderunt, sed tamen multi.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

VEnerunt qui cogerent immolare, et accendere thura, et à lege Dei discedere, et dixerunt ei : Fac sicut omnes gentes.

Psalm. de Laudibus Dominicæ.

Ant. Respondens ait : Non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cœlum et terram.

Ant. Levaverunt vocem suam dicentes : tolle de terrâ hujusmodi. Non enim fas est eum vivere.

Ant. Vir ætate provectus et vultu decorus, gloriosissimam mortem complectens, voluntariè præibat ad supplicium.

Ant. Intuens quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 4.

BOnum certamen certavi : cursum consummavi : fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.

HYMNUS.

SOlemne festum gaudio
Anni reduxit orbita,
In quo Trophæa Lazari
Extollit alma civitas.
Hunc omnium præconia
Primum salutent Præsulem.
Dicant parentem civium,
Tutamen et solatium.

Hunc

Digitized by Google

Hunc de sepulchri faucibus,
Et de procellis eruens
Amica Christi dextera,
Ad nostra duxit mœnia.
Huc nave divus hospitâ
Cœli talenta detulit,
Venit simul cum Lazaro
Fides, spes atque charitas.
Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Dominus mihi adjutor :
℟. Non timebo quid faciat mihi homo.

Ad Benedictus.

Antiph. Cùm plagis perimeretur, ingemuit et dixit : Domine, manifestè tu scis quia duros corporis sustineo dolores : secundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.

ORATIO.

DEus qui Beato Lazaro Christi discipulo dedisti piæ confessionis inter tormenta virtutem ; largire nobis inter mundi tentamina ejus constantiam æmulari, ut coronari cum ipso mereamur in cœlis. Per eundem.

AD PRIMAM.

Ant. Venerunt. *Et in* ℟. *br.* ℣. Qui venturus es in mundum.

AD TERTIAM.

Ant. Respondens ait.

Digitized by Google

CAPITULUM. 2. *Tim.* 4.

BOnum certamen certavi : cursum consummavi : fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex.

℟. *br.* Dominus illuminatio mea et salus mea. * Quem timebo? Dominus illuminatio. ℣. Dominus protector vitæ meæ ; à quo trepidabo? Quem timebo ? Gloria Patri. Dominus.

℣. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum :

℟. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.

AD SEXTAM.

Ant. Levaverunt.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 4.

NEmo mihi affuit; sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur. Dominus autem mihi astitit, et confortavit me.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra. * Non timebit cor meum. Si consistant. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Non timebit. Gloria Patri. Si consistant.

℣. Fortitudo mea et laus mea Dominus:

℟. Et factus est mihi in salutem.

AD NONAM.

Ant. Intuens.

CAPITULUM. *Act.* 20.

NIhil vereor; nec facio animam meam pretiosiorem quam me ; dummodò consummem cursum meum, et ministerium verbi

Digitized by Google

quod accepi à Domino Jesu, testificari evangelium gratiæ Dei.

℟. *br.* Fortitudo mea. * Et laus mea Dominus. Fortitudo. ℣. Et factus est mihi in salutem. Et laus. Gloria Patri. Fortitudo.

℣. Dominus mihi adjutor:

℟. Non timebo quid faciat mihi homo.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Venerunt, *ut in Laudibus. Psalmi de Dominicâ, et loco ultimi Psalmi* Credidi propter.

Capitulum, Hymnus et Versus ut in I. Vesp.

Ad Magnificat.

Antiph. Non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. Sed et si immolor suprà sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis: idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi.

ORATIO.

Deus qui Beato, etc. *ut in Laudibus.*

Digitized by Google

Die XXIV. Januarii.

Translatio Reliquiarum S. VICTORIS, *Martyris, Massiliæ Patroni.* Duplex.

AD VESPERAS.

Quæ erunt secundæ de Desponsatione B. M. V., pro commemoratione S. Victoris dicetur sequens

Antiph. Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.

℣. Sperate in illo omnis congregatio populi.

℟. Effundite coram illo corda vestra.

ORATIO.

CONTERE, Domine, satanam sub pedibus nostris, qui Beato Victori martyri tuo, cujus translationem celebramus, in confessione tui nominis cultum dæmoniorum calcare tribuisti. Per Dominum.

* *Si autem hoc festum transferri contigerit, ut habeat integras vesperas, tunc psalmi erunt de communi unius martyris, ut in* 1. *vesperis, sumentur antiphonæ et capitulum de laudibus, hymnus de matutino, antiphona ad* Magnificat, *versus et oratio ut suprà.*

AD MATUTINUM.

INVITAT. Deum patientiæ et solatii qui mirificat Sanctos suos. * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Digitized by Google

HYMNUS.

QUalis consequitur gloria martyres!
Illorum cineres plebs colit osculis.
Ultor nempè Deus pensat honoribus
Summis opprobrium necis.
Quæ circum vigilant lampades aureæ,
Victor, quo frueris luminis indices,
Hæ quæ cœlitibus gloria desuper,
Et terris quis honos, monent.
Constans hoc tumulo spirat adhuc fides.
Ardens fervet adhuc aurea charitas.
Nos qui fida parùm pectora vivimus
Vivos mortuus arguit.
Patri maxima laus; maxima Filio;
Amborumque sacro maxima Flamini;
Qui dat martyribus mille neces pati,
Et per funera vincere. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fortitudo mea et laus mea Dominus; et factus est mihi in salutem.

Psalmi nocturnorum de communi unius Martyris.

Ant. Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus.

Ant. Ego ad Dominum aspiciam: expectabo Deum Salvatorem meum.

℣. Si consistant adversùm me castra,
℟. Non timebit cor meum.

Lectiones de scripturâ occurrente.

1. ℟. Probavit me Dominus quasi aurum quod per ignem transit. Vestigia ejus secutus est pes meus. * Viam ejus custodivi, et non declinavi ex eâ. ℣. Omnia detrimentum feci, ad cognos-

Digitized by Google

cendum Christum et societatem passionum illius, configuratus morti ejus. Viam ejus.

II. ℟. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * Omnes qui speratis in Domino. ℣. Accedite ad eum et illuminamini; et facies vestræ non confundentur. Omnes.

III. ℟. Semper nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum, * Ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali. ℣. Quoniam propter te mortificamur totâ die : æstimati sumus sicut oves occisionis. Ut et vita. Gloria Patri. Ut et vita.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Omnis qui te colit, Domine, vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.

Ant. Usque in tempus sustinebit patiens, et posteà redditio jucunditatis.

Ant. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

℣. Cantabo, Domine, fortitudinem tuam;

℟. Et exaltabo manè misericordiam tuam.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Ex serm. 93, *in natali SS. Nazarii*, etc.

Lectio iv.

TAntus Christi testis, pretiosus confessione, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, et tinctâ veste candidior, licet peculiaris putetur privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Non clauditur locis quod diffunditur meritis. Invocasti Martyrem : ubique te exaudit qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua et dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia

Digitized by Google

efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti. Oratio enim quæ castitatis, justitiæ, eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ majestatis, angelo conferente, conspectum. Quæ cum ita sint, honoremus beatos Martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei.

℣. Ceperunt me inimici mei gratis : dixi, Perii, vocem meam, Domine, audisti. * Dixisti : ne timeas. Judicasti causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. ℣. Ego non solùm alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu. Dixisti.

Lectio v.

QUòd si dicas mihi : Quid honoras jam in carne resolutâ atque consumptâ, de quâ nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam? *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus;* et iterum : *Mihi autem valdè honorificandi sunt amici tui Deus.* Honorare debemus servos Dei, quantò magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur : *Dominus*, inquit, *custodit omnia ossa eorum, et unum ex his non conteretur.* Honoro ergò in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices : honoro viventis memoriam perennitate virtutis : honoro per confessionem Domini sacratos cineres : honoro in cineribus semina æternitatis : honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me, propter Dominum, mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fide-

Digitized by Google

les, quod reverentur et dæmones? quod et afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus quod Christus honoravit in gladio; quod cum Christo regnabit in cœlo.

℟. Factus es mihi adjutor, Domine, et liberasti me. * A rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me. ℣. Dominus mihi adstitit et confortavit me, et liberatus sum de ore leonis. A rugientibus.

Ex libro Sancti Gregorii Turonensis de Gloriâ Martyrum.

Lectio vj. Cap. 67.

EST ad sepulchrum Sancti Victoris Massiliensis Martyris mira virtus. Nam cùm sæpius ad eum accedentes infirmi sanentur, reliqui energumeni tamen multùm se collidentes et Martyrem clamantes, ejectis dæmonibus, liberantur. Aureliani autem Patritii servus à dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur; ità ut plerumque propriis se morsibus laceraret. Sed adductus ad basilicam Sancti, cum se exuri ejus virtute fateretur, debacchans per totam ædem, die tertiâ mundatus abscessit. Qui in tantum fidei merito roboratus est, ut deinceps, humiliatis capillis, Abbatis sortitus ordinem, monasterio uni præponeretur.

℟. Liberavit me Dominus ab omni opere malo, * Et salvum faciet in regnum suum cœleste. ℣. In die tribulationis exultabo in Deo Jesu meo. Super excelsa mea deducet me victor. Et salvum. Gloria Patri. Et salvum.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Ant. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Ant. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Ant. In mundo pressuram habebitis : sed confidite ; ego vici mundum.

℣. Adjutor meus, tibi psallam:

℟. Quia Deus susceptor meus es.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : dixit Jesus Discipulis suis : Nihil est opertum quod non revelabitur ; neque occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Serm. 65. *de verbis Domini ; aliàs* 13. *Cap.* 6.

SCitote, certumque tenete corpus mortuum esse sine animâ, animam mortuam esse sine Deo. Omnis homo sine Deo mortuam habet animam. Plangis mortuum : magis plange impium, plange infidelem. Scriptum est ; luctus mortui, septem dies : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. An verò non in te sunt viscera Christianæ miserationis, ut plangas corpus à quo discessit anima ; et non plangas animam à quâ recessit Deus?

℟. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. * Qui vicerit non lædetur à morte secundâ. ℣. Usque ad mortem certa pro justitiâ, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Qui vicerit.

Digitized by Google

Lectio viij.

HOc tenens Martyr respondeat comminatori : Quid me cogis ? Ut negem Christum? Si noluero, quid facis ? Percutis corpus meum, ut recedat inde anima mea ? Sed ipsa anima mea ad se habet corpus. Non est imprudens; non est insipiens. Tu vis ferire corpus meum, Vis ut cum timeo ne ferias corpus meum, et recedat inde anima mea, ego feriam animam meam, et recedat inde Deus meus ? Non ergo timeas, Martyr, gladium percussoris. Linguam tuam time, ne tu te percutias et occidas, non carnem, sed animam. Inde ergo Dominus (ait: Timete eum) qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennâ ignis.

℣. Quid mihi est in cœlo; et à te quid volui super terram? * Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum. ℣. Qui elongant se à te, peribunt. Mihi autem adhærere Deo bonum est. Deus cordis. Gloria Patri. Deus cordis.

Lectio ix. Cap. 7.

VIs nosse quæ sit mors animæ ? Intellige Prophetam dicentem : *Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini.* Timeat ergo anima mortem suam, et non timeat mortem corporis sui. Quia si timuerit mortem suam, et vixerit in Deo suo, non eum offendendo et à se repellendo, merebitur in fine recipere corpus suum, non ad pœnam æternam, sicut impii, sed ad vitam æternam, sicut justi. Illam mortem timentes, et illam vitam Martyres diligentes, promissa Dei expectantes, minas persecutorum contemnentes, et ipsi apud Deum coronari meruerunt, et nobis celebranda illa solemnia reliquerunt. Te Deum.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

QUi vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei. Ero illi Deus, et ille erit mihi filius.

Ant. Vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ.

Ant. Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei, novæ Jerusalem.

Ant. Confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus.

Ant. Vincenti dabo sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum patre meo in throno ejus.

CAPITULUM. *Hebr.* II.

SAncti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

HYMNUS.

JAm non te lacerant carnificum manus
Inter qui recubas cœlituum choros.
Nunc pro carcere cæco,
Fulgentes habitas domos.
Non jam vincla manus, non cohibent pedes;
Tu liber superûm regna perambulas.
Quot plagis laniatus,
Cœlo tot radiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis amplius,
Nec probrosa premit te modo nuditas.
Nunc te lumine puro
Pascit Christus, et induit.

Digitized by Google

Sic tu Martyribus, dexter ades, Deus,
Ut quos mors perimit, gloria vindicet:
Confundisque tyrannum,
Dum quos deprimit elevas.
Semper maxima laus ingenito Patri
Semper laus genito maxima Filio.
Sacri nexus amoris
Sit laus par tibi, Spiritus. Amen.

℣. Omnia mea ossa dicent:
℟. Domine, quis similis tibi?

Ad Benedictus.

Ant. Erit memoria illius in benedictione, et ossa ejus pullulabunt de loco suo.

ORATIO.

COntere, Domine, satanam sub pedibus nostris, qui Beato Victori martyri tuo, cujus translationem celebramus, in confessione tui nominis cultum dæmoniorum calcare tribuisti. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Ant. Vestietur.

CAPITULUM. *Hebr.* 11.

SAncti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

℟. *br.* Dominus illuminatio mea et salus mea. * Quem timebo. Dominus illuminatio. ℣. Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Quem timebo? Gloria Patri. Dominus.

℣.

Digitized by Google

℣. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum :

℟. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.

AD SEXTAM.

Ant. Scribam super eum.

Capitulum. 2. *Tim.* 1.

PAtior, sed non confundor : scio enim cui credidi; et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra. * Non timebit cor meum. Si consistant. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Non timebit. Gloria Patri. Si consistant.

℣. Fortitudo mea et laus mea Dominus :

℟. Et factus est mihi in salutem.

AD NONAM.

Ant. Vincenti dabo.

Capitulum. *Tob.* 3.

POst tempestatem tranquillum facis, Domine : et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula.

℟. *br.* Fortitudo mea. * Et laus mea Dominus. Fortitudo. ℣. Et factus est mihi in salutem. Et laus. Gloria Patri. Fortitudo.

℣. Dominus mihi adjutor :

℟. Non timebo quid faciat mihi homo.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Fit de Conversione S. Pauli Apostoli, cum commemoratione S. Petri et translationis S. Victoris, per sequentem

Antiph. Justum non dereliquit Deus, donec afferret illi potentiam adversùs eos qui eum deprimebant; et dedit illi claritatem æternam.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus,

℟. Coronam de lapide pretioso.

ORATIO.

Contere, Domine, *ut suprà ad laudes.*

Si autem transferatur, tunc sumentur psalmi ex secundis vesperis Martyrum, antiphonæ et capitulum de laudibus, Hymnus de matutino, versus autem, antiphona ad Magnificat *et oratio ut suprà.*

Die XXVIII Januarii.

In hac Diœcesi fit officium de S. Timotheo Episc. et Martyre, ut in Breviar. Rom. die 24. ejusdem mensis, sub ritu semid., cum 9. lect. S. Agnetis secundò, ejusque comm. in 1. vesp. et laud. per antiphonas proprias, quæ ibidem sunt assignatæ.

Digitized by Google

Die III. Februarii.

In Festo S. THEODORI, *Episcopi Massiliensis.* Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Quæ erunt 11. de Purificatione B. M. V. fit commem. S. Theodori per sequentem

Antiph. Erit ipsi pactum sacerdotii sempiterni; quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

ORATIO.

DEus qui beatum Theodorum Pontificem eximium, per multos agones, tanquam aurum igne probatum, ad æternæ felicitatis requiem perduxisti : da nobis quæsumus, ejus exemplo cuncta nobis adversantia superare, ut post hujus vitæ tribulationes, in regnum tuum introire mereamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Blasii, ut in breviario.

* *Si hoc festum transferri contigerit, ut habeat vesperas integras, tunc sumentur antiphonæ de laudibus; Psalmi de Dominicâ, et loco ultimi*, Laudate Dominum omnes gentes. *Capitulum de laudibus : Hymnus de matutino. Versus autem cum antiphonâ ad* Magnificat *et oratione, dicentur ut suprà.*

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum pastorum principem. *Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

NOrma pastorum, Theodore, claris
Actibus, curis, animo, labori,
Debitam laudem cecinisse gaudent
Massilienses.

Regulæ sanctæ bonus æmulator,
Perditos cleri populique mores
Tu reformasti monitis, piæque
Munere vitæ.

Invido numquam caret hoste virtus.
Pellitur charâ Theodorus urbe.
Civitas omnis viduata sancto
Præsule flevit.

Integrum pectus scelerisque purum
Summa necquicquam quatiet potestas:
Nec reformidat mala fraudulentæ
Vulnera linguæ.

In bonum justo sua pœna cedit:
Nec miser vixit, licet exularet.
Qui Deum quærit, Deus unus illi
Sufficit usque.

Christe, pastorum bonus ipse pastor,
Qui greges pascis proprio cruore:
Fac ut æternæ subeant opima
Pascua vitæ. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Labia Sacerdotis custodient scientiam;

Digitized by Google

et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.

Psalmi nocturnorum sumuntur de communi Confessoris Pontificis.

Ant. Oportet Episcopum amplecti eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ.

Ant. In pace et in æquitate ambulavit, et multos avertit ab iniquitate.

℣. Posui adjutorium in potente;

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

Lectio j. Cap. 3.

FIdelis sermo: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum: ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.

℟. Rectorem te posuerunt: noli extolli. * Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. Esto.

Digitized by Google

De Epistola ad Titum.

Lectio ij. Cap. 1.

OPortet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, et seductores; maximè qui de circumcisione sunt : quos oportet redargui : qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

℣. Speculatorem dedi te domui Israel : * Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. ℣. In mente habe qualiter acceperis et audieris, et serva. Audiens.

Lectio iij. Cap. 2.

TU autem loquere quæ decent sanam doctrinam : Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientiâ : Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes, benè docentes : ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant : prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate; verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

Digitized by Google

℣. Accede ad altare, et immola pro peccato tuo : * Offer holocaustum, et * Deprecare pro te et pro populo. ℣. Debet Pontifex quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Offer. Gloria Patri. Deprecare.

IN II. NOCTURNO.

Ant. In lege Domini congregationem judicavit, et in fide suâ probatus est Propheta; et cognitus est in verbis suis fidelis.

Ant. Dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini; et ut non exerrarent mentibus, et hortabatur ne legem amoverent à corde suo.

Ant. Aperiet os suum, et in oratione confitebitur Domino; et ipse diriget consilium ejus et disciplinam.

℣. Invocabant Dominum et ipse exaudiebat eos.

℟. In columnâ nubis loquebatur ad eos.

Lectio iv.

THeodorus Presbyter Ecclesiæ Massiliensis, mox propter egregias virtutes ejusdem Ecclesiæ Episcopus creatus, tanti muneris partes explere summopere studuit. Cum igitur, Cleri, populique sibi commissi mores emendare, et Ecclesiæ suæ jura tueri vellet, multorum, et maximè procerum, invidiam, et pertinacem iram in se adeò concitavit, ut totus vitæ illius decursus, (authore Gregorio Turonensi) perpetuum martyrium fuerit. Mira fuit ejus patientia, et profunda humilitas. Bonorum direptionem et atrocissimas calumnias non solum invicto animo toleravit; sed etiam persecutores suos amplexatus, omnibus beneficiis prosecu-

Digitized by Google

tus est. Multoties à Guntrando Burgundiæ Rege, et ejus Ministris exagitatus, exilia, vincula, carceres, innumeraque mala, penè usque ad mortem pertulit; quibus tamen longè acerbiora pro Domino suo pati cupiebat. Sæpè inimicorum fraudibus à sua Ecclesiâ ejectus, et sæpè à Childeberto Rege Francorum restitutus; tandem à Synodo Matisconensi secundâ, etiam renitente Guntrando, in suâ dignitate confirmatur.

℣. Audivit eum Dominus et vocem ipsius, et dedit illi præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, * Docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. ℣. Hic est qui fuit in Ecclesiâ cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis. Docere.

Lectio v.

EJus virtutis famâ commotus. S. Gregorius Magnus, ipsi præclaram scripsit Epistolam, circà quosdam Judæos Massiliæ et in Provinciâ degentes. Dum vinctus aliquando duceretur à Guntrandi Satellitibus et per Urbem Trevirensem transiret, à Beato Magnerico hujus urbis Episcopo honorificè exceptus est. Ibidem quædam mulier ab immundo spiritû vexata ejus sanctitatem promulgavit. Cum interdum noctû in carcere oraret, à milite ad ejus custodiam deputato mirâ luce coruscare visus est, toto cubiculo magno splendore repleto: quod ille postridiè cæteris militibus enarravit, qui Theodori sanctitatem venerari cœperunt. Verè pater pauperum fuit. In egenos, viduas, et pupillos beneficus, illorum inopiam ope, consilio, pecuniâ sublevabat. Sed ejus charitas præsertim enituit, calamitosis illis temporibus, quibus Civitas Mas-

Digitized by Google

silia, cum totâ fermè Galliâ, peste sævissimâ laboravit. Sicut bonus Pastor animam suam pro ovibus suis tradere non renuit, et impavidus ægros invisens, eos omnimodè solabatur.

℟. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me. * Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. ℣. Fidelis erat in totâ domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Lex.

Lectio vj.

Cum verò novas insectantium insidias declinandi causâ à suâ Diœcesi abesse coactus esset: accidit ut Massilia rursum morbo pestilenti infecta esset. Quo audito vir Dei festinavit regredi, ut charissimo populo suo commori posset. Sed inventâ Urbe civibus vacuâ; summo dolore affectus, in Cœnobium sancti Victoris se recepit; ubi assiduis precibus, ac jugibus lachrymis, ad sepulchra Martyrum prostratus, divinam clementiam exorabat. Tot tantisque malis ereptus Theodorus, Bodegesilo primo Duce Massiliæ, requiescere cœpit; et ad requirenda corpora sanctorum Defendentis et sociorum, qui sub Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus Massiliæ passi fuerant, se totum convertit; quæ cum, revelante Deo reperisset, in celebri Templo suis sumptibus ædificato, ea solemniter reposuit, ipsorumque Martyrum vitam conscripsit. Denique sanctitatis gloriâ conspicuus, Massiliæ in pace quievit, anno quingentesimo nonagesimo tertio, die secundâ Januarii; cum viginti circiter annos Ecclesiam Massiliensem, summâ temporum varietate, sanctissimè administrasset.

Digitized by Google

℟. Locutus es, Domine, sanctis tuis, et dixisti : Inveni David servum meum; * Oleo sancto meo unxi eum : * Manus mea auxiliabitur ei. ℣. Huic Deus testimonium perhibens, dixit : Inveni virum secundum cor meum; Oleo. Gloria Patri. Manus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ.

Ant. Erogavit pecunias multas. Justitiam et fidem conservavit genti suæ; et exquisivit omni modo exaltare populum suum.

Ant. Non recedet memoria ejus; et nomen ejus requiretur à generatione in generationem.

℣. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Cornu ejus exaltabitur in gloriâ.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore, dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homil. 14. *in Evang.*

AUdistis Fratres Charissimi, ex lectione Evangelicâ eruditionem vestram : Audistis et periculum nostrum. Ecce enim is qui non ex accidenti dono, sed essentialiter bonus est dicit : *Ego sum pastor bonus.* Atque ejusdem bonitatis formam quam nos imitemur adjungit, dicens : *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis :* Fecit quod monuit; ostendit quod jussit. Bonus pastor animam suam pro ovibus posuit, ut in Sacramento nostro Corpus suum,

Digitized by Google

et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

℟. Quis est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? * Beatus ille servus quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. ℣. A Domino suo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum. Beatus.

Lectio viij.

OStensa nobis est de contemptu mortis via, quam sequamur; apposita est forma cui imprimamur. Primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere : postremum vero, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare. A primo autem minimo, pervenitur ad postremum majus. Sed cum incomparabiliter longè sit melior anima quâ vivimus, quam terrena substantia quam exterius possidemus; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam?

℟. Euge, serve bone et fidelis : quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui. ℣. Super populum meum constitui te : Sapientia et scientia data sunt tibi; et gloriam dabo tibi. Intra. Gloria Patri. Intra.

Nona lectio de s. Blasio Episc. et Mart. ut in Breviario. Si hoc festum juxta Rubric. transferatur, et non occurrat aliquod fest. simplex cujus lectio hoc loco legi debeat; tunc dicetur sequens

Lectio ix.

ET sunt nonnulli, qui dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, meritò

Digitized by Google

nomen Pastoris perdunt : de quibus protinus subditur; Mercenarius autem, et qui non est Pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non Pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est; qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non querit : terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensâ sibi ab hominibus reverentiâ lætatur. Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

QUi intrat per ostium, Pastor est ovium: huic ostiarius aperit; et oves vocem ejus audiunt.

Ant. Proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et ante eas vadit.

Ant. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.

Ant. Si perdiderit unam ex illis, vadit ad illam, donec inveniat eam; et cùm invenerit, imponit in humeros suos gaudens.

Ant. Fur venit ut perdat : mercenarius videt lupum, et fugit : bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. HYMNUS.

Digitized by Google

HYMNUS.

REgis edicto venerandus exul
Exteris tandem revocatur oris.
Mox triumphalis timidum revisit
Pastor ovile.

Quid tibi prodest rediisse, Pastor,
Nec nisi caulas reperire solas?
Hanc dedit stragem recidiva charo
Pestis ovili.

Martyrum cryptis, vacuus laborum
Heu! sedens, sacros cineres et ossa
Quæris, extructis pretiosa transfers
Pignora templis.

Verus ærumnis, Theodore, martyr;
Sedulâ charus pietate pastor;
Fac ut in nostro pietas fidesque
Splendeat actu.

Christe, pastorum Bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis proprio cruore;
Fac ut æternæ subeant opima
Pascua vitæ. Amen.

℣. Elegit Dominus servum suum:
℟. Pascere hæreditatem suam.

Ad *Benedictus.*

Antiph. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

ORATIO.

DEus, qui beatum Theodorum Pontificem eximium, per multos agones, tanquam aurum igne probatum, ad æternæ felicitatis requiem perduxisti : da nobis, quæsumus, ejus exemplo cuncta nobis adversantia superare, ut

Digitized by Google

post hujus vitæ tribulationes, in regnum tuum introire mereamur. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Blasii.

AD TERTIAM.

Ant. Proprias oves.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris; sed forma facti gregis ex animo.

℟. *br.* Sapientiam ejus * Enarrabunt gentes. Sapientiam. ℣. Laudem ejus enuntiabit Ecclesia. Enarrabunt. Gloria Patri. Sapientiam.

℣. Constitutus est à Deo super montem sanctum ejus:

℟. Prædicans præceptum ejus.

AD SEXTAM.

Ant. Oves illum.

CAPITULUM. *Jerem.* 3.

INtroducam vos in Sion, et dabo vobis Pastores juxtà cor meum; et pascent vos scientiâ et doctrinâ.

℟. *br.* Constitutus est à Deo. * Super montem sanctum ejus. Constitutus. ℣. Prædicans præceptum ejus. Super. Gloria Patri. Constitutus.

℣. Pavit eos in innocentiâ cordis sui:

℟. Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Fur venit.

CAPITULUM. *Act.* 20.

ATtendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

℟. *br.* Pavit eos. * In innocentiâ cordis sui. Pavit. ℣. Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. In innocentiâ. Gloria Patri. Pavit.

℣. Nos populus tuus, et oves pascuæ tuæ:

℟. Confitebimur tibi in sæculum.

IN II. VESPERIS.

Ant. Qui intrat, *cum reliquis de laudibus. Psalmi de Dominicâ, et loco ultimi;* Memento, Domine, David.

CAPITULUM. *Act.* 20.

NOcte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm: et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

HYMNUS.

Norma pastorum, *ut suprà ad Matutinum.*

℣. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam;

℟. Et Sancti tui exultent.

Ad Magnificat.

Antiph. Scius quomodò nihil subtraxerim

Digitized by Google

utilium, quominùs annuntiarem vobis, et docerem vos publicè et per domos.

ORATIO.

Deus, qui Beatum, *ut suprà ad laudes.*

Et fit commemoratio S. Andreæ Corsini, ut in breviario.

* *Si festum Purificationis B. M. V. venerit in Dominicis septuagesimæ, sexagesimæ, vel quinquagesimæ, tunc prædictum festum, transfertur in diem tertiam februarii, juxtà rubricas, ex decr. S. Congr. Rituum; et officium S. Theodori ponitur primâ die non impeditâ festo duplici, vel semiduplici.*

Die XXII. Februarii.

Fit de CATHEDRA S. PETRI *Antiochiæ, ut in Breviario Rom. Sed in hac Diœcesi sub ritu Dupl. II. classis.*

Die I. Martii.

In festo SS. ADRIANI et HERMETIS *Mart. Massiliensium.* Duplex.

Omnia ut in communi plurimorum Martyrum, præter ea quæ hìc sunt propria.

ORATIO.

DEus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum Adriani et Hermetis natalitia colere; da nobis in æternâ beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente. Si venerit in Quadrag. erunt de eodem communi; Fratres, debitores, etc.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Maximi Episcopi.

In natali SS. Martyrum Taurinensium, Octavii, Solutoris et Adventoris.

Lectio iv.

CUm omnium sanctorum Martyrum, fratres, devotissimè natalem celebrare debemus, tùm præcipuè eorum solemnitas, totâ nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi Sancti ubique sint, et omnibus prosint; specialiter illi tamen pro nobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur; non sibi tantùm patitur; sed et civibus. Sibi enim patitur ad præmium, civibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere, didicimus contumeliis vitam æternam quærere, mortem didicimus non timere.

℣. Sancti tui Domine.

Lectio v.

BEati igitur Martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt, benè vivendo, conversationis, tolerando fortiter, passionis. Nam ideò Dominus per totum mundum diversis in locis pati Martyres voluit, ut tanquam idonei testes, nos præsenti quodam fidei exemplo suæ confessionis urgerent, ut humana fragilitas, quæ prædi-

Digitized by Google

cationis Dominicæ auditu longiore vix credit, vel præsenti oculorum testimonio, martyrio crederet Beatorum.

℟. Verbera carnificum.

Lectio vj.

CUncti igitur Martyres devotissimè percolendi sunt : sed specialiter ii venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione. Cum his autem nobis familiaritas est. Semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt. Hic, ne peccatorum nos labes absumat, ibi, ne inferni horror invadat. Nam ideò hoc à majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat : dum illos Christus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes, evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.

℟. Tanquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium : Cum audieritis prælia, etc. *ut in eodem communi. In Quadrag. 9. lectio erit de Homil. Feriæ.*

Digitized by Google

OFFICIA
B. MARIÆ IN SABBATO.

Per singulos menses sub ritu semiduplici recitanda.

De mandato Illust. et Rever. D. D. Episcopi, Officium B. Mariæ in Sabbato in hac Diœcesi deinceps sub ritu semiduplici recitabitur, cum antiphonis et lectionibus quæ infrà per singulos menses sunt assignatæ. De illo fiet in omnibus sabbatis, nisi fuerint impedita aliquo festo duplici, vel occurrant in aliquâ octavâ. Excipiuntur etiam sabbata quatuor temporum adventûs et quadragesimæ, de quibus fiet juxtà rubricam generalem. Festa semiduplicia occurrentia in sabbatis quibus officium B. Mariæ est assignatum, transferuntur in primam diem non impeditam, juxtà Rubricam de translatione festorum. Semiduplicia verò, vel etiam duplicia translata, eo die non celebrantur; sed ulteriùs sunt transferenda.

De festo simplici quod occurrit in sabbato fiet commemoratio in 1. vesperis et laudibus; et recitabitur 9. lectio, si fuerit propria de vitâ Sancti. De vigiliâ recitabitur 9. lectio, et fiet commemoratio in laudibus tantùm. De feriis adventûs et quadragesimæ fiet commemoratio in 1. vesperis et laudibus, et in quadragesimâ 9. lectio de homilia feriæ.

Si in feriâ sextâ recitatum fuerit officium duplex, de B. Mariâ fiet tantum commem. in vesperis. Si fuerit officium semiduplex, tunc de illo

Digitized by Google

fiet usque ad capitulum, et deinceps de B. Maria, cum commemoratione festi, et suffragiis communibus, de Apostolis, de patrono, et de pace. Si verò præcesserit festum simplex, aut feria, tunc vesperæ erunt de B. Maria cum suffragiis tantum. In secundis autem vesperis, (quæ erunt de Dominicâ, vel festo sequente), fiet commemoratio B. Mariæ per antiphonam, versùm et orationem, ut in I. vesperis.

Missa verò, ut officio respondeat, dicetur ea quæ inter votivas B. Mariæ Virginis pro tempore assignatur; cum Gloria *sine* Credo; 2. *orat. de Spiritu Sancto*, 3. Ecclesiæ, *vel pro Papa*; *Præf.* Et te in veneratione.

Officium B. Mariæ in Sabbato.

PRO MENSE DECEMBRI.

(Quod dicetur in Sabbato antè Dominicam I. Adventûs, etiamsi venerit in Novembri.)

AD VESPERAS.

Antiph. Missus est *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Isaiæ.* 11.

EGredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

HYMNUS.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Digitized by Google

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis:
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat.

Antiph. Spiritus sanctus in te descendet, Maria: ne timeas, habebis in utero Filium Dei, alleluia.

ORATIO.

DEus, qui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

* *Ad completorium et horas diei sequentis, doxologia hymnorum erit:* Jesu tibi sit gloria, Qui natus es de virgine; Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

Hæc doxologia dicitur ad completorium Feriæ sextæ etiamsi in vesperis facta fuerit tantum commemoratio de B. Maria Virgine. Sabbato verò, ubi vesperæ semper dicuntur integræ de sequenti, eodem modo concluduntur hymni, et ad completorium et ad vesperas, (in hymno

Digitized by Google

ejusdem metri.) Si autem in vesperis sabbati nulla fiat commemoratio de B. M. V., vel si officium sequens propriam habeat doxologiam, tunc ad vesperas et ad completorium dicetur doxologia communis, vel propria de festo. = Ità Gavantus. Sect. v. Cap. 6. de Hymnis.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Ave Maria, gratiâ plena * Dominus tecum.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant;
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia,
Deserviunt per tempora;
Perfusa cœli gratia,
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
Cujus, supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu;
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Antiphonæ, psalmi et versus nocturnorum dicuntur ut in officio parvo B. M. V.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente. Absolutiones et benedictiones dicuntur ut in festis B. Mariæ Virginis; exceptâ 8. *benedict., quæ erit:* Cujus commemorationem colimus, ipsa Virgo virginum.

I. ℟. Ecce jam venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras, natum de Virgine, factum sub lege : * Ut eos, qui sub lege erant, redimeret. ℣. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, Filium suum misit in similitudinem carnis peccati. Ut eos.

II. ℟. Suscipe verbum virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est : concipies et paries Deum pariter et hominem, * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum : efficieris gravida, et eris Mater semper intacta. Ut benedicta.

III. ℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum : et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas Maria : invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies et paries, et vocabitur altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce concipies. Gloria Patri. Ecce concipies.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Petri Chrysologi.

Ex Serm. 3. *De annuntiatione B. M. V.*

Lectio iv.

Missus est Angelus Gabriel à Deo. Ubi mediator est Angelus, humana cesset opinio : ubi cælestis est nuntius, interpretatio terrena pellatur..... Quod per Angelum Deus mandat, ille meretur scire qui timet scire.... *Missus est Angelus ad Virginem.* Quia semper est angelis cognata virginitas. In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Et, si vultis scire, angelicam gloriam acquirere majus est quàm habere. Esse angelum, felicitatis est; virginem esse, virtutis. Virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex naturâ. Angelus ergo et Virgo divinum agunt officium, non humanum.

℣. Ante multum tempus prophetavit Ezechiel: Vidi portam clausam, ecce Deus ante sæcula ex eâ procedebat pro salute mundi : * Et erat iterùm clausa, demonstrans Virginem, quia post partum permansit virgo. ℣. Porta quam vidisti, Dominus solus transibit per illam. Et erat.

Lectio v.

Videtis quibus est Virgo oppignorata muneribus. *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum. Ave*, hoc est, accipe. Quid? Virtutes munerum, non pudoris. *Ave, gratiâ plena.* Hæc est gratia quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem sæculis redditura.

Ave

Digitized by Google

Ave gratiâ plena. Quia singulis gratia se est largita per partes; Mariæ verò simul se totam dedit gratiæ plenitudo.

℣. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, dicit Dominus : * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, fortis. ℣. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum. Et vocabitur.

Lectio vj.

QUod ergo in partu Virginis agitur, non est Creatoris injuria, sed salus est creaturæ. Si Deus fecit hominem, quis arguit, cur refecit? Et quod ex limo formasse dignè creditur, quare ex carne reformasse judicatur indignum?... Sed dicis : Quæ nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quæ? Ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando : quia quæ facta fuerat ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, et cœpit esse origo mortis quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotium nativitatis quod nasci compulit Christum, ut naturæ curam nativitas daret Auctoris, et naturæ curatio esset vivificatio filiorum.

℣. Virgo Israel revertere ad civitates tuas : * Usquequò dolens averteris? generabis Dominum Salvatorem, oblationem novam in terrâ : * Ambulabunt homines in salvationem. ℣. In charitate perpetuâ dilexi te : ideò attraxi te miserans tui. Usquequò. Gloria Patri. Ambulabunt.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore : Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbiteri.

Ex homil. in festo annuntiat. B. M. V.

APtum profectò humanæ restaurationis principium, ut Angelus à Deo mitteretur ad Virginem partu consecrandam divino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cùm serpens à diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. Imò ipse in serpente diabolus veniebat, qui genus humanum, deceptis parentibus primis, immortalitatis gloriâ nudaret. Quia ergo mors intravit per fœminam, aptè redit et vita per fœminam. Illa à diabolo seducta per serpentem, viro gustum necis obtulit; hæc à Deo edocta per Angelum mundo auctorem salutis edidit.

℣. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet : * Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. ℣. Et requiescet super eum Spiritus Domini : spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis. Et erit.

Lectio viij.

MIssus est Angelus ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David. Quod dicitur *de domo David*, non tantum ad Joseph, sed etiam pertinet ad Mariam.

Digitized by Google

Legis namque erat præceptum, ut de suâ quisque tribu ac familiâ duceret uxorem; Apostolo quoque attestante, qui ad Timotheum scribens, ait : *Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum.* Ideò enim veraciter ex semine David ortus est Christus, quia incorrupta ejus genitrix veram de stirpe David originem duxit.

℟. Radix Jesse, qui exurget judicare Gentes, in eum Gentes sperabunt : * Et erit nomen ejus benedictum in sæcula. ℣. Super ipsum continebunt reges os suum : ipsum Gentes deprecabuntur. Et erit nomen. Gloria Patri. Et erit nomen.

Lectio ix.

Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Dedit Dominus Redemptori nostro sedem David patris ejus, quando hunc de genere David incarnari disposuit, ut populum, quem David temporali rexit imperio, ipse gratiâ spiritali ad æternum proveheret regnum. De quo Apostolus ait : *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.* Hinc est quòd idem populus divino admonitus instinctu, cum passurus ille Hierosolimam properaret, in ejus laudem gaudens decantabat : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.* Et juxtà alium Evangelistam : *Benedictum quod venit regnum Patris nostri David.* Aderat enim tempus quo redempti per ejus sanguinem mundi Rex agnosceretur, non solum domûs David, sed et totius Ecclesiæ, imò omnium conditor et rector sæculorum. Te Deum laudamus.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

MIssus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Ps. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominicâ.*

Ant. Ave, Maria, gratia plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus, alleluia.

Ant. Ne timeas, Maria : invenisti gratiam apud Dominum : Ecce concipies, et paries filium, alleluia.

Ant. Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

Ant. Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundùm verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ.* II.

EGredietur virga de radice Jesse; et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum Spiritus Domini.

HYMNUS.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.

Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite,

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis:
℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus.

Antiph. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.

ORATIO.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti; præsta supplicibus tuis, ut qui verè eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum.

AD TERTIAM.

Ant. Ave, Maria.

CAPITULUM. *Isaiæ.* II.

EGredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet; et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. *br.* Specie tuâ. * Et pulchritudine tuâ. Specie tuâ. ℣. Intende prosperè procede, et regna. Et pulchritudine tuâ. Gloria Patri. Specie tuâ.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.
℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

AD SEXTAM.

Ant. Ne timeas.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Lucæ.* 1.

DAbit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum ; et regni ejus non erit finis.

℟. *br.* Adjuvabit eam. * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus ; non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Ecce ancilla.

CAPITULUM. *Isaiæ.* 7.

ECce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

℟. *br.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis :

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

* *In secundis vesperis fit tantùm commemoratio B. M. V. per antiphonam, versum et orationem I. vesp., ut in rubricâ dictum est. Et ità in aliis Sabbatis totius anni.*

Digitized by Google

Officium B. Mariæ in Sabbato.

PRO MENSE JANUARIO.

(Dicendum et in primâ Die Februarii, si fuerit Sabbatum.)

AD VESPERAS.

Antiph. O admirabile, *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Tim.* 2.

APparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo.

HYMNUS.

Ave Maris stella, p. 44.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti:
℟. Dei genitrix, intercede pro nobis.

Ad Magnificat.

Antiph. Magnum hæreditatis mysterium! Templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex eâ carnem assumens. Omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

ORATIO.

DEus, qui salutis æternæ, B. Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti; tribue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus

Digitized by Google

auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Dei Filium, de Mariâ Virgine natum. * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

JEsu Redemptor omnium,
Quem, lucis antè originem,
Parem paternæ gloriæ
Pater supremus edidit.
Tu lumen et splendor Patris;
Tu spes perennis omnium.
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem servuli.
Memento, rerum conditor,
Nostri quòd olim corporis,
Sacratâ ab alvo Virginis,
Nascendo formam sumpseris.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Psalmi nocturnorum, Antiphonæ et Versus ut in officio parvo.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

1. ℣. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contu-

Digitized by Google

listi. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem.

II. ℟. Beata viscera Mariæ virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium : et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum : * Qui pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. ℣. Dies sanctificatus illuxit nobis : venite Gentes, et adorate Dominum. Qui pro salute.

III. ℟. Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es mater Salvatoris : * Jacebat in præsepio, et fulgebat in cœlo. ℣. Domine audivi auditum tuum, et timui : consideravi opera tua, et expavi : in medio duorum animalium. Jacebat. Gloria Patri. Jacebat.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Athanasii Episcopi.

Ex homiliâ in censum, seu professionem.

Lectio IV.

SI nati Domini vires, ac potestatem attendas, exigua et perquàm exigua, quæ sunt lecta, existunt. Sed..... cuncta ob certam causam, certumque ob finem facta : et reconditum quod continent. Ex Virgine nascitur, ut primum parentem Adam ex terræ virginis limo conditum reformet. Fasciis involvitur, ut nostrorum vincula peccatorum trahat, vinculis vincula solvens, juxtà quod scriptum est : *Funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Sugit ubera, ut lac gratiæ, quod ex ejus scaturiit latere ubertim diffundat. Reclinatur in præsepi, ut humani generis brutos mores emendet, duûmque animalium cibus fiat. Quo-

Digitized by Google

rum verò duûm animalium? Nempè Ethnici ac Judaici populi, de quibus scriptum est : *In medio duorum animalium cognosceris.*

℟. Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria Angelo nuntiante concepit : tunc speciosum forma præ filiis hominum castis suscepit visceribus : * Et benedicta in æternum, Deum nobis protulit et hominem. ℣. Domus pudici pectoris, templum repentè fit Dei : intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Et benedicta.

Lectio v.

OPeræ pretium est videre porrò Joseph gaudii plenum ; itemque ædiculam ubi peperit Virgo, Ecclesiæ præferentem formam : cujus altare est præsepe; Vicarius Sacerdos, Joseph; Diaconi, Pastores; Sacerdotes, Angeli; Pontifex, Dominus; Sedes, Virgo; Crateres, ubera; Pallium, incarnatio; flabella, Cherubim; discus, Spiritus Sanctus; disci operculum, Pater suâ obumbrans virtute. Quòd autem locus is, in quo Virgo Dominum peperit, Ecclesiæ speciem præfiguraverit, audisti modò dicentem Lucam Evangelistam : *Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.....* O rem stupendam ! Temporum auctor, certum ac definitum tempus expectavit. Qui tempori terminos constituit, præstitutum mensium terminum sustinuit, ne quis phantasiam, aut inane simulacrum incarnationem existimaret.

℟. Nesciens mater virgo virum, peperit sine dolore, * Salvatorem sæculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno. ℣. Domus pudici pectoris templum

Digitized by Google

repentè fit Dei : intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. Salvatorem.

Lectio vj.

CONsidera mysticum Virginis partum. Ipsa peperit, ipsa quoque pannis involvit. Inter sæculi fœminas alia parit, alia fasciis involvit. Non sic autem in partu Virginis : ipsa peperit, ipsa et pannis involvit. Ipsa mater sine partûs dolore ; ipsa quoque nemine docente obstetrix. Non permisit quemquam impuris manibus purissimam contingere prolem. Ipsa suâ opellâ, eum qui ex ipsâ, ipsâque antiquior, ac propter ipsam natus erat, curavit, ac fovit; *Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio.*

℣. O magnum mysterium, et admirabile sacramentum ! ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio : * Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum. ℣. Ave Maria, gratia plena : Dominus tecum. Beata. Gloria Patri. Beata.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 2.

IN illo tempore ; Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbiteri.

Lib. 1. *Cap.* 6. *in Lucæ.* 2.

VErba pastorum quàm sint rationabilia et Pastoribus Ecclesiæ digna, diligenter inspice. Verè enim quasi vigilantes non dixeruut: Videamus puerum, videamus quid dicitur; sed,

Digitized by Google

Videamus verbum quod factum est. In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est. Verbum quod semper erat, videamus quomodò pro nobis factum est. *Quod fecit Dominus et ostendit nobis.* Verbum hoc, ipsum se fecit : siquidem hoc ipsum Verbum Dominus est. Videamus igitur quomodò hoc ipsum verbum, hoc est, Dominus, ipse se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam. Quod enim videre non poteramus dùm erat Verbum, videamus factum, quia caro est.

℟. O Regem cœli, cui talia famulantur obsequia ! stabulo ponitur, qui continet mundum : Jacet in præsepio, et in cœlis regnat. ℣. Natus est nobis Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Jacet.

Lectio viij.

ET venerunt festinantes : et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio..... Festinant pastores. Christi, quem cognovere, totâ mentis intentione videre adventum desiderant. Neque enim cum desidiâ Christi est quærenda præsentia. Et ideò fortè nonnulli quærentes invenire non merentur, quia desidiosè Christum requirunt. Ideò pastores isti sine morâ invenerunt, quia ad illum fide infictâ currebant, ad quem festinanter ire, est non pedum gressus accelerare, sed in fide semper ac virtute proficere.

℟. Fœno jacere pertulit; præsepe non abhorruit; parvoque lacte pastus est, * Per quem nec ales esurit. ℣. Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Per quem. Gloria Patri. Per quem.

Lectio

Digitized by Google

Lectio ix.

SEd et Dominici gregis Pastores, quò crebriùs ac suaviùs inter hujus vitæ tenebras cœlesti attolluntur oraculo, eò ferventiùs sublimem patrum præcedentium vitam, in quâ panis vitæ semper, et servatur, et reficit, quasi portas Bethlehem, contemplando subeunt; nihilque in hac aliud quàm virginalem Catholicæ Ecclesiæ pulchritudinem, quasi Mariam, virilem spiritualium Doctorum cætum, quasi Joseph, et humilem mediatoris Dei et hominum, hominis Jesu-Christi adventum Scripturæ sacræ paginis insertum, quasi in præsepio positum infantem Christum, prima visione reperiunt.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

O Admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

Ant. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum. Te laudamus, Deus noster.

Ant. Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ant. Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus, Deus noster.

Digitized by Google

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia.

CAPITULUM. *Tit.* 2.

APparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo.

HYMNUS.

A Solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem,
Christum canamus Principem
Natum Maria Virgine.

Beatus auctor sæculi
Servile corpus induit;
Ut carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.

Gaudet chorus cœlestium,
Et Angeli canunt Deo:
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Verbum caro factum est, alleluia.
℟. Et habitavit in nobis, alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Mirabile mysterium declaratur hodie: innovantur naturæ: Deus homo factus est: id, quod fuit, permansit, et quod non erat, assumpsit; non commixtionem passus, neque divisionem.

Digitized by Google

ORATIO.

DEus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecundâ, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit.

AD TERTIAM.

Ant. Quando natus es.

CAPITULUM. *Tit.* 2.

APparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et sæcularia desideria, sobriè, et justè, et piè vivamus in hoc sæculo.

℟. *br.* Specie tuâ. * Et pulchritudine tuâ. Specie tuâ. ℣. Intende, prosperè procede, et regna. Et pulchritudine tuâ. Gloria Patri. Specie tuâ.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

AD SEXTAM.

Ant. Rubum quem viderat.

CAPITULUM. *Galat.* 4.

UBi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret; ut adoptionem filiorum reciperemus.

℟. *br.* Adjuvabit eam. * Deus vultu suo. Ad-

Digitized by Google

juvabit. ℣. Deus in medio ejus; non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus et prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Ecce Maria.

CAPITULUM. *Hebr.* 1.

MUltifariàm, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula.

℟. *br.* Elegit eam Deus. * Et prælegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et prælegit eam. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis:

℟. Propterèa benedixit te Deus in æternum.

Officium B. Mariæ in Sabbato.

PRO MENSE FEBRUARIO.

(Dicendum et in primo Sabbato Martii, si venerit antè Quadragesimam.)

AD VESPERAS.

Antiph. Dum esset Rex *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

Digitized by Google

HYMNUS.

Ave maris stella, p. 44.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contrà hostes tuos.

Ad Magnificat.

Antiph. Beata Mater et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Sancta Maria, Dei genitrix Virgo. * Intercede pro nobis.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

Quem terra, pontus, etc. p. 46.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

1. ℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

2. ℟. Suscepimus, Deus, misericordiam tu-

Digitized by Google

am in medio templi tui. * Hic est Deus, Deus noster in æternum. ℣. De Maria natus est Jesus qui vocatur Christus. Hic est.

III. ℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te, laudibus efferam, nescio : * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Hilarii Episcopi Arelatensis.
Homil. 2. in Nativitatem Domini.
Lectio iv.

OBstupescit natura rerum. Virgo procreat sobolem..... Creator ex creaturâ suâ nascitur, et fructum ventris sui mater innupta miratur; ac fœmina auctoris sui auctor efficitur. Quid primum mirer, quidve postremum? quòd sine conceptu est collata fœcunditas? An quòd per partum magis est glorificata virginitas? Sed non mirum si ita peperit : talis erat ille cui nupserat. Ait enim Angelus stupenti Mariæ : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ecce præbitura Deo nascenti corporis sui habitaculum priùs mente efficitur Dei templum.

℟. Erat pater Jesu et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo; * Et benedixit illis Simeon. ℣. Mirati sunt in illo, et honoraverunt Deum. Et benedixit.

Lectio v.

AGnosce, o verè Beata Maria, gloriam tuam, illam, inquam, gloriam quam tibi, vel Angelus nuntiavit, vel Joannes per os Elisa-

Digitized by Google

beth matris, adhuc de secreto uteri prophetavit : *Benedicta* itaque *tu inter mulieres et Benedictus fructus ventris tui : et undè mihi hoc ut veniat mater Domini mei ad me?* Exulta, mater salutis humanæ. Ecce Domini mei, universo mundo per tanta retrò sæcula promissum prima suscipere mereris adventum. Habitaculum immensæ majestatis efficeris : spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possides. Initiator omnium rerum abs te initiatur, et profundendum pro mundi vitâ sanguinem de corpore tuo accepit.

℣. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et * Esto ibi usque dum dicam tibi. ℟. Descende in Ægyptum : ego descendam tecum illuc, et inde adducam te revertentem. Esto ibi.

Lectio vj.

HIc est ille qui sub nubilo legis coruscans, scripturarum omnium claves in se et aperiens et claudens, ac testamenti veteris umbras adventu suo discutiens, Verbum caro factum venit in mundum, non depositâ, sed sepositâ majestate : perfectus Deus, et verus homo, unus Christus : Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Inde divina, hinc humana substantia : duplex natura, sed tamen Dei et Hominis una persona : ita conjunctus Deus Homini sicut anima corpori. Ita est pro salute nostrâ misericors humiliata majestas, ut tamen non adimeret dignatio dignitatem. Assumpta est enim humanitas, non absumpta

Digitized by Google

divinitas : ad nos quidem per matrem venit, sed tamen cum Patre regnavit.

℣. Puer crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ; et gratia Dei erat in illo. * Et Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. ℣. Deus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Et Mater. Gloria Patri. Et Mater.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex tract. 8. *in Joannem, post medium.*

JAm ex magnâ parte respondimus Manichæis. Sed ne arbitrentur nos non habere quid dicamus de his verbis quæ Dominus Matri respondit, vos magis adversùs illos instruimus : nam illis refellendis puto quòd sufficiant quæ jam dicta sunt. Cur ergo ait Matri Filius : *Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea?* Dominus noster Jesus Christus et Deus erat et Homo. Secundùm quod Deus erat, matrem non habebat : secundùm quod homo erat, habebat matrem. Mater ergo erat carnis; mater humanitatis; mater infirmitatis quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundùm divinitatem facturus erat, non secundùm infirmitatem.

Digitized by Google

℟. Consurgens nocte * Joseph accepit puerum et matrem ejus, et secessit in Ægyptum. ℣. Pertransierunt ad populum alterum: non reliquit Deus hominem nocere eis. Joseph.

Lectio viij.

MIraculum ergo exigebat mater : at ille tanquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina ; tanquam dicens : Quod de me facit miraculum tu non genuisti. Divinitatem meam tu non genuisti. Sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, cùm ipsa infirmitas pendebit in cruce. Hoc est enim : *nondum venit hora mea.* Tunc enim cognovit, qui utique semper noverat. Et antequàm de illâ natus esset, in prædestinatione noverat matrem..... Sed ad quandam horam, in mysterio, non agnoscit, et ad quandam horam, quæ nondum venerat, in mysterio, rursus agnoscit. Tunc enim agnovit, quando illud quod peperit moriebatur. Non enim moriebatur per quod facta erat Maria, sed moriebatur quod factum erat ex Mariâ.

℟. Beata es virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi : * Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo. ℣. Ave, Maria, gratiâ plena : Dominus tecum. Genuisti. Gloria Patri. Genuisti.

Lectio ix.

ILlud ergo respondit, discernens in fide credentium, quis, quà venerit. Venit enim per matrem fœminam Deus et Dominus cœli et terræ. Secundùm quod Dominus mundi, quod Dominus cœli et terræ, Dominus utique Mariæ..... Secundùm autem quod dictum est : Factum ex muliere, factum sub lege, filius

Digitized by Google

Mariæ..... Sicut enim Mariæ, ita et David dictus est filius; et ideò David filius quia Mariæ filius. Audi Apostolum apertè dicentem: Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Audi eum et Dominum David. Dicat hoc et ipse David: Dixit Dominus Domino meo; sede ad dexteram meam. Et ipse Jesus hoc proposuit Judæis et inde convicit. Quomodò ergo David et filius et Dominus, filius David secundum carnem, Dominus David secundum divinitatem; sic Mariæ filius secundùm carnem, Dominus Mariæ secundum majestatem.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

DUm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: ideò dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit: imber abiit et recessit. Surge amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

Digitized by Google

HYMNUS.

O Gloriosa Virginum, p. 52.
℣. Benedicta tu in mulieribus:
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. Lævà ejus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

℟. *br.* Specie tuâ, p. 63.
℣. Adjuvabit eam.

AD SEXTAM.

Ant. Nigra sum.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam, p. 63.

℣. Elegit eam Deus.

AD NONAM.

Ant. Speciosa.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus, p. 64.

℣. Diffusa est gratia.

* *Rubrica generalis Brev. Rom. pro iis sabbatis in quibus ponendum est officium alicujus ex Dominicis, quæ supersunt post Epiphaniam, locum non habet in sabbatis Februarii, vel etiam Januarii, quæ in hâc Diœcesi considerantur tanquam impedita festo novem lectionum. Ideòque officium Dominicæ ponendum erit feriâ sextâ, vel aliâ non impeditâ. Quod si totâ hebdomadâ prædictum officium poni non possit, tunc in officio B. Mariæ Virginis legatur nona lectio de homiliâ Dominicæ, cum commem. ejusdem in laudibus, juxtà Rubricæ præscriptum. Similiter dicendum de Sabbatis Novembris, quando supplendum est officium Dominicæ XXIII. post Pentec.*

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
S. MASSILIENSIS ECCLESIÆ.

PARS VERNA.

OFFICIA PASSIONIS
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Feriis sextis Quadragesimæ recitanda.

Subsequentia quatuor officia, ad Christi Domini nostri Passionem spectantia, totidem feriis sextis quadragesimæ, in Diœcesi Massiliensi, sunt assignata. De illis fiet sub ritu duplici majori, ità ut festa in prædictis feriis occurrentia cedant officio Passionis, nisi essent altioris ritûs. Si festum S. Gabrielis Archangeli concurrat cum Officio Passionis in primis,

Digitized by Google

vel secundis vesperis, de S. Gabriele fiet tantùm commemoratio. De feriâ verò semper fiet commemoratio in utrisque vesperis et laudibus, cum 9. lectione de homiliâ. Si quod ex dictis officiis Festo Annunciationis, vel S. Josephi, vel S. Matthiæ Apostoli, vel (in hac Diœcesi) Cathedræ S. Petri Antioch. impediatur, non est transferendum, sed eo anno omittitur.

Feriâ sextâ post Cineres.

Festum SS. QUINQUE PLAGARUM *D. N. Jesu-Christi.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

QUid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ, et loco ultimi, Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

Ant. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

Ant. Torcular calcavi solus, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea: annus redemptionis meæ venit.

Ant. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me; et peccatorum tuorum non recordabor.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Zach.* 12.

EFfundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; et aspicient ad me, quem confixerunt.

HYMNUS.

PRome vocem, mens, canoram:
Plange tristi carmine.
Dic Crucifixi dolores;
Mortui die vulnera,
Innocens quæ sponte Christus,
Pro reis fert victima.
Cæsus immiti furore,
Nostra propter crimina;
Nos suo livore sanat,
Nos jacentes erigit;
Et fovet plagas tumentes,
Et cruentas alligat.
Trans manus pedesque fixus,
Nostra rumpit vincula:
Totque fontes sunt salutis
Quot fluit plagis cruor;
Et quibus clavis tenetur,
Nos tenet fixos cruci.
Mortui pectus sacratum
Vulneratur lanceâ.
Indè sanguis mistus undâ
Fervidus prolabitur.
Ad lavacrum præbet undam,
Ad coronas sanguinem.
Fac, Redemptor, hauriamus
His aquas de fontibus.
Poculum sint et medela,

Digitized by Google

Sint et olim præmium;
Ut redemptus te per omne
Laudet orbis sæculum. Amen.

℣. Suprà dorsum meum fabricaverunt peccatores:

℟. Prolongaverunt iniquitatem suam.

Ad Magnificat.

Ant. Propter scelus populi mei percussi eum; et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.

ORATIO.

COncede, quæsumus, misericors Deus, ut sacræ Unigeniti tui plagæ sint nobis medela vulnerum et fontes salutis æternæ. Per eundem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

* *Ad Completorium et horas diei sequentis, doxologia hymnorum erit:* Qui per crucem nos liberas, Jesu, tibi sit gloria, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum propter iniquitates nostras vulneratum. * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

Prome vocem, *ut suprà in vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.

Digitized by Google

CONserva me, Domine, quoniam speravi in te : * Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terrâ ejus : * mirificavit omnes voluntates meas, in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum : * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus : * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei : * tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris : * etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum : * insuper et usque ad noctem, increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper, * quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea : * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno : * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ ; adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo : * delectationes in dexterâ tuâ usque in finem. Gloria Patri, etc.

Ant. Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.

Ant. Circumdedit me lanceis suis ; convulneravit lumbos meos, et non pepercit.

Digitized by Google

Psalmus 21.

DEus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? * longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meæ.

In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discesseris à me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens: * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Digitized by Google

Quoniam circumdederunt me canes multi : * consilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos : * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi verò consideraverunt et inspexerunt me : * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Ant. Circumdedit me lanceis suis; convulneravit lumbos meos, et non pepercit.

Ant. Concidit me vulnere super vulnus. Irruit in me quasi gigas.

Divisio Psalmi 21.

TU autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me : * ad defensionem meam conspice.

Erue à framea, Deus, animam meam : * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis : * et à cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : * et in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : * universum semen Jacob, glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel : * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam à me : et cùm clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesiâ magnâ; * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum : * vivent corda eorum in sæculum sæculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum : * universi fines terræ.

Digitized by Google

Et adorabunt in conspectu ejus : * universæ familiæ Gentium.

Quoniam Domini est regnum : * et ipse dominabitur Gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ : * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : * et annuntiabunt cœli justitiam ejus, populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

Ant. Concidit me vulnere super vulnus. Irruit in me quasi gigas.

℣. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi :

℟. Et confirmasti super me manum tuam.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 1.

AUdite cœli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui : Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis. Dereliquerunt Dominum; blasphemaverunt Sanctum Israel; abalienati sunt retrorsùm. Super quo percutiam vos ultrà, addentes prævaricationem? Omne caput languidum, et omne cor mœrens. A plantâ pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas. Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

℟. In conspectu tuo, Domine, sunt omnes

Digitized by Google

qui tribulant me : * Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; quoniam quem tu percussisti persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. ℣. Christus non sibi complacuit; sed sicut scriptum est : Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et sustinui.

De Zacharia Propheta.

Lectio ij. Cap. 13.

IN die illâ, erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris..... Et erit in die illâ, dicit Dominus exercituum : Disperdam nomina idolorum de terrâ, et non memorabuntur ultrà : et pseudoprophetas, et spiritum immundum auferam de terrâ..... In die illâ confundentur prophetæ, unusquisque ex visione suâ cum prophetaverit: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur; sed dicet : Non sum propheta; homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentiâ meâ.

℟. Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico. * Retrorsùm non abii : corpus meum dedi percutientibus. ℣. Baptismo habeo baptizari; et quomodò coarctor usquedum perficiatur ! Retrorsùm.

Lectio iij.

ET dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum ? Et dicet : His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. Framea, suscitare super Pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute Pastorem, et dispergentur oves; et convertam manum meam ad parvulos. Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus,

Digitized by Google

Partes duæ in eâ dispergentur, et deficient; et tertia pars relinquetur in eâ.

℣. Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea : ipsi verò * Consideraverunt et inspexerunt me. * Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum à me. ℣. Facta sunt hæc ut impleretur et alia scriptura : Videbunt in quem transfixerunt. Consideraverunt. Gloria Patri. Tu autem.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Sagittæ Domini in me sunt, et terrores Domini militant contrà me.

Psalmus. 29.

EXaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me ; * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te : * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam : * salvasti me à descendentibus in lacum.

Psallite Domino, Sancti ejus : * et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus : * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus : * et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantia mea : * Non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tuâ : * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam à me : * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo : * et ad Deum meum deprecabor.

Digitized by Google

Quæ utilitas in sanguine meo : * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis : * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est meî : * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi : * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiâ.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar : * Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Ant. Sagittæ Domini in me sunt, et terrores Domini militant contrà me.

Ant. Non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudine.

Psalmus. 40.

BEatus qui intelligit super egenum et pauperem : * in die malâ liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terrâ : * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus : * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi : Domine, miserere meî : * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi : * Quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur : * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras : * et loquebatur in idipsum.

Digitized by Google

Adversùm me susurrabant omnes inimici mei : * adversùm me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversùm me : * Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi : * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere meî, et resuscita me : * et retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluisti me : * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti : * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo, et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Ant. Non concedit requiescere spiritum meum, et implet me amaritudine.

Ant. Instauras testes tuos, contrà me, et multiplicas iram tuam adversùm me.

Psalmus. 55.

MIserere meî, Deus, quoniam conculcavit me homo : * totâ die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei totâ die : * quoniam multi bellantes adversùm me.

Ab altitudine diei timebo : * ego verò in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos ; in Deo speravi : * non timebo quid faciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabantur : * adversùm me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent : * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut

Digitized by Google

Sicut sustinuerunt animam meam, prò nihilo salvos facies illos : * in irâ populos confringes.

Deus, vitam meam annuntiavi tibi : * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tuâ : * tunc convertentur inimici mei retrorsùm.

In quacumque die invocavero te : * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem : * in Deo speravi ; non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua : * quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Ant. Instauras testes tuos contrà me, et multiplicas iram tuam adversùm me.

℣. Amove à me plagas tuas, Domine.

℟. A fortitudine manus tuæ ego defeci.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 61. *in Cantica. num.* 3.

Lectio iv.

UBi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securiùs habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Peccavi peccatum grande : turbabitur conscientia, sed non perturbabitur ; quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempè vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem quod non Christi morte solvatur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri.

℟. Ut viderunt Jesum jam mortuum, non

Digitized by Google

fregerunt ejus crura; sed * Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua. ℣. Humiliaverunt pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus. Unus.

Lectio v. num. 4.

EGo fidenter quod ex me mihi deest usurpo mihi ex viscéribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt; nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus et pedes, latusque lanceâ foraverunt; et per has rimas licet mihi, sugere mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo: id est, gustare et videre quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluptatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus; clamat vulnus quòd verè Deus sit in Christo, mundum reconcilians sibi.

℣. Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? * Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. ℣. Nolite pavere; pro salute vestrâ misit me Deus. Videte.

Lectio vj.

FErrum pertransiit animam ejus, et appropinquavit cor illius; ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis. Patet magnum illud pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu, Domine, suavis et mitis et multæ misericordiæ? Majorem

Digitized by Google

enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis.

℣. Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, * Et * Noli esse incredulus, sed fidelis. ℣. Delevi iniquitates tuas : revertere ad me quoniam redemi te. Et noli esse. Gloria Patri. Noli esse.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Quid clamas super contritione tuâ, Israel? Obducam enim cicatricem tibi, et à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.

Psalmus 68.

SAlvum me fac Deus : * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi : * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris : * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injustè : * quæ non rapui, tunc exolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam : * et delicta mea à te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te, Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me, * qui quærunt te, Deus Israel.

Digitized by Google

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis : * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domûs tuæ comedit me : * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam : * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium : * et factus sum illis in parabolam.

Adversùm me loquebantur qui sedebant in portâ : * et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ant. Quid clamas super contritione tuâ, Israel? Obducam enim cicatricem tibi, et à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus.

Ant. Dominus ipse vulnerat et medetur: percutit, et manus ejus sanabunt.

Divisio Psalmi 68.

EGo verò orationem meam ad te Domine : * tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, * in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar : * libera me ab iis qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum : * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : * secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam à puero tuo : * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Digitized by Google

Intende animæ meæ, et libera eam : * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me : * improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit, * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel : * et in sitî meâ potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum : * et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant : * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam : * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta : * et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt : * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de Libro viventium : * et cum justis non scribantur.

Ant. Dominus ipse vulnerat et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.

Ant. Sanabit plagam, et revertentur ad Dominum ; et placabitur eis, et sanabit eos.

Altera divisio Psalmi 68.

EGo sum pauper et dolens : * salus tua, Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico : * et magnificabo eum in laude.

Digitized by Google

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur : * quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra : * mare, et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion : * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi : * et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam : * et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in eâ.

Ant. Sanabit plagam, et revertentur ad Dominum; et placabitur eis, et sanabit eos.

℣. Sanat Dominus contritos corde.

℟. Et alligat contritiones eorum.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Cùm accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120 *in Joann.*

VIgilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret : Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit : Ut illic quodammodò vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sanguis in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum. Hæc et lavacrum præstat, et potum.

℣. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, * In quo habemus redemptionem per Sangui-

Digitized by Google

nem ejus, remissionem peccatorum. ℣. Iste asperget gentes multas. In quo.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio viij.

HOc prænuntiabat, quod Noë in latere Arcæ ostium facere jussus est, quà intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in Cruce dormivit : ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid Vulnere isto salubrius?

℣. Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus-Christus; * Non in aquâ solum, sed in aquâ et sanguine : et * Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas. ℣. In die illâ erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris. Non in. Gloria Patri. Spiritus est.

Lectio nona legitur de homiliâ feriæ, et in fine Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

QUis est iste qui venit tinctis vestibus? Iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ.

Psalmus. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominicâ.*

Digitized by Google

Ant. Vestitus erat veste aspersâ sanguine; et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

Ant. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.

Ant. Verè langores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Ant. Disciplina pacis nostræ super eum; et livore ejus sanati sumus.

CAPITULUM. *Isaiæ.* 53.

VIdimus eum, et non erat aspectus; et desideravimus eum; despectum et novissimum virorum; virum dolorum et scientem infirmitatem: et quasi absconditus vultus ejus, et despectus; undè nec reputavimus eum.

HYMNUS.

QUæ te pro populi criminibus nova
Insontem properat perdere charitas?
Quid non pro miserâ gente luis volens,
Factus victima Pontifex?
Clavi, qui geminum transadigunt pedem,
Captivos laqueo dæmonis eruunt;
Transfixæque manus exeutiunt vetus
Quo mundus premitur jugum.
Obstetrix penitùs lancea perforat,
Quo nos parturiat, pectus amabile
Hoc quæ fonte fluit nos aqua, nos cruor
Sanat, liberat, abluit.
O vitæ latices, vivida flumina!
O sacros aditus pectoris intimi!
O petræ solidæ tuta foramina!
O cordis penetralia!

Digitized by Google

Te si nostra, Pater, crimina provocant,
Nati sacra lubens vulnera respice,
Cum noster laceras objiciet tuis
Judex fulminibus manus.
Fac per sæva, Pater, vulnera, per cruces,
Sic æterna tuos quærere gaudia,
Ut cum prole tibi jugiter, ac tuo
Reddant Spiritui decus. Amen.

℣. Protector noster, aspice, Deus;
℟. Et respice in faciem Christi tui.

Ad *Benedictus.*

Antiph. Dixit Jesus Discipulis suis : Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus et latus.

ORATIO.

COncede, quæsumus, misericors Deus, ut sacræ Unigeniti tui plagæ sint nobis medela vulnerum, et fontes salutis æternæ. Per eundem.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD PRIMAM.

Ant. Quis est iste. *et in* ℟. *br.* ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Vestitus erat.

CAPITULUM. *Isaiæ.* 63.

CIrcumspexi, et non erat auxiliator : quæsivi, et non fuit qui adjuvaret; et salvavit mihi brachium meum, et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi. Et conculcavi populos in furore meo, et inebriavi eos in indignatione meâ.

Digitized by Google

℟. *br.* Deus confringet capita. * Inimicorum suorum. Deus. ℣. Ut intingatur pes tuus in sanguine. Inimicorum. Gloria Patri. Deus confringet.

℣. Salvavit sibi dextera ejus :

℟. Et brachium sanctum ejus.

AD SEXTAM.

Ant. Ipse autem.

CAPITULUM *Isaiæ* 53.

PRo eo quòd laboravit anima ejus videbit et saturabitur : in scientiâ suâ justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.

℟. *br.* Tu, Domine, repulisti, * Despexisti Christum tuum. Tu, Domine. ℣. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam. Despexisti. Gloria Patri. Tu, Domine.

℣. Omnia excelsa tua et fluctus tui,

℟. Super me transierunt.

AD NONAM.

Ant. Disciplina.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 2.

PEccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis.

℟. *br.* Sacrificium noluisti; * Corpus autem aptasti mihi. Sacrificium. ℣. Holocaustum et pro peccato non postulasti; Corpus. Gloria Patri. Sacrificium.

℣. Deus excelsus est misericors;

℟. Et propitius fiet peccatis eorum.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Ant. Deus, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.

Psalmus 115.

CRedidi propter quod locutus sum : * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo : * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino : * pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam : * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : * pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : * in atriis domûs Domini, in medio tui Jerusalem. Gloria Patri, etc.

Ant. Deus, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.

Ant. Certissimè sciat omnis Domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis.

Psalmus 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi : * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam à labiis iniquis, * et à linguâ dolosâ.

Digitized by Google

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi, * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ, * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar : * multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Ant. Certissimè sciat omnis Domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum quem vos crucifixistis.

Ant. Hunc Principem et Salvatorem Deus exaltavit, ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.

Psalmus 139.

Eripe me, Domine, ab homine malo : * à viro iniquo eripe me.

Qui cogitaverunt iniquitates in corde : * totâ die constituebant prælia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentis : * venenum aspidum sub labiis eorum.

Custodi me, Domine, de manu peccatoris; * et ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos : * absconderunt superbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum : * juxtà iter scandalum posuerunt mihi.

Dixi Domino : Deus meus es tu : * exaudi Domine, vocem deprecationis meæ.

Domine, Domine, virtus salutis meæ : * obumbrasti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Domine, à desiderio meo peccatori : *

Digitized by Google

catori : * cogitaverunt contrà me : ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.

Caput circuitus eorum : * labor labiorum ipsorum operiet eos.

Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos : * in miseriis non subsistent.

Vir linguosus non dirigetur in terrâ : * virum injustum mala capient in interitu.

Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis : * et vindictam pauperum.

Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo : * et habitabunt recti cum vultu tuo.

Ant. Hunc Principem et Salvatorem Deus exaltavit ad dandam pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.

Ant. Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ; in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

Psalmus 140.

DOmine, clamavi ad te, exaudi me : * intende voci meæ, cum clamavero ad te.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : * elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.

Pone, Domine, custodiam ori meo : * et ostium circumstantiæ labiis meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ : * ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem : * et non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me justus in misericordiâ, et increpabit me : * oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc et oratio mea in benepla-

Digitized by Google

citis eorum : * absorpti sunt juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt : * sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum : * quia ad te, Domine, Domine, oculi mei ; in te speravi, non auferas animam meam.

Custodi me à laqueo quem statuerunt mihi : * et à scandalis operantium iniquitatem.

Cadent in retiaculo ejus peccatores : * singulariter sum ego, donec transeam.

Ant. Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suæ ; in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

Ant. Si sanguis hircorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis ; quantò magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ?

Psalmus 141.

VOce meâ ad Dominum clamavi : * voce meâ ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam : * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum : * et tu cognovisti semitas meas.

In viâ hac quâ ambulabam : * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga à me : * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, * dixi : Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.

Digitized by Google

Intende ad deprecationem meam : * quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me : * quia confortati sunt super me.

Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo : * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Si sanguis hircorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram?

CAPITULUM. *Ephes.* 5.

CHristus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis.

HYMNUS.

Prome vocem, *ut in I. vesp.* p. 75.

℣. Oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

℟. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Ad Magnificat.

Antiph. Gratia et pax à Jesu Christo qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Ecce venit cum nubibus; et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

ORATIO.

Concede, quæsumus, *ut suprà ad laudes.*

Et fit commemoratio Feriæ.

Digitized by Google

Feriâ sextâ quatuor temporum Quadragesimæ.

Festum S. CORONÆ SPINEÆ *D. N. Jesu-Christi.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

FIlia Jerusalem, ecce Rex tuus veniet tibi Justus et Salvator : ipse pauper.

Psalmi ad utrasque vesperas et ad matutinum dicuntur ut in officio SS. Plagarum, Feriâ sextâ post cineres. Ad laudes Psalmi consueti. Et ità servabitur in duabus sequentibus Feriis sextis.

Ant. Inglorius erit inter viros aspectus ejus; et forma ejus inter filios hominum.

Ant. Ipse asperget gentes multas : super ipsum continebunt reges os suum.

Ant. Ipse portabit gloriam, et sedebit et dominabitur super solio suo; et Corona erit memoriale in templo Domini.

Ant. Magnificentia tua, Deus, in diademate capitis illius sculpta erat.

CAPITULUM. *Isaiæ*, 61.

GAudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum Coronâ.

Digitized by Google

HYMNUS.

CHristi cruentæ, splendida Principum
Non certet unquam purpura purpuræ.
Junco palustri sceptra cedant:
Textilibus diadema Spinis.
His fretus armis victor aheneos
Postes revulsit, claustraque tartari;
Cœtusque captivos piorum
In patrias revocavit arces.
Quin et premebat quos fera servitus,
Tristi gementes eripuit jugo:
Et nocte damnatos profundâ
Ad superas dedit ire sedes.
Hæc tincta cæsi sanguine prædicat
Dei suppellex: hinc aliam nefas
Ambire gazam christianos,
Morte quibus redimenda vita.
Qui nos creavit, maxima laus Patri;
Qui nos redemit, maxima Filio;
Qui consecrando nos inungis,
Par tibi laus, utriusque nexus. Amen.

℣. Da imperium tuum puero tuo, Domine:
℟. Ut videant qui oderunt me et confundantur.

Ad Magnificat.

Antiph. Conculcabitur corona superbiæ: et in die illâ erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui.

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini nostri Jesu-Christi, Coronam ejus spineam veneramur

Digitized by Google

in terris, ab ipso gloriâ et honore coronari mereamur in cœlis; Qui tecum vivit.

Et fit commemoratio Feriæ.

* *Doxologia completorii et horarum* Qui per crucem, etc. *ut in officio præcedenti. Et ità in duobus sequentibus.*

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Regem regum Spinis coronatum. * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUò forma cessit par Deo?
Non vultus idem, non color.
Atro fluentem sanguine,
Et ora fœdum vidimus.
Frons, pro coronâ regiâ,
Horret sub aspris vepribus.
Hæc illa, crudelis Sion,
Quæ serta nectis Principi!
Arundo pro sceptro datur,
Durusque pro throno lapis:
Quem vestit æternum jubar
Ridenda vestit purpura.
Qui sceptra regum dividit,
Ut scenicus rex luditur:
Quæ solis obscurant jubar,
Velo teguntur lumina.
Orbi piando qui parem
Offers patri te victimam,
O Christe, ne cassum tuæ
Sit passionis præmium.
Qui nos creavit, laus Patri;

Digitized by Google

Laus, qui redemit, Filio;
Qui nos fovet, laus Flamini;
Uni Deo sit gloria. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Adducunt Jesum ad Pilatum, et cœperunt illum accusare, dicentes: Hunc invenimus dicentem se Christum regem esse.

Ant. Jesus stetit antè presidem, et interrogavit eum præses: Tu es Rex Judæorum?

Ant. Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis? an alii dixerunt tibi de me?

℣. Deus rex noster operatus est salutem,

℟. In medio terræ.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 61.

SPiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me. Ad annuntiandum mansuetis misit me; ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem: Ut prædicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes: Ut ponerem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Et vocabuntur in eâ fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

℟. Quis est iste qui venit tinctis vestibus, sicut calcantium in torculari? * Iste formosus in stolâ suâ, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. ℣. Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Iste formosus.

Digitized by Google

Lectio ij. Cap. 61 et 62.

GAudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis; et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum Coronâ, et quasi sponsam ornatam monilibus suis..... Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum: et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris Corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui.

℣. Regnum meum non est de hoc mundo. * Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent utique, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. ℣. Salvabo eos in Domino Deo suo; et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello. Si ex hoc.

De Zacharia Propheta.

Lectio iij. Cap. 6.

FActum est verbum Domini ad me, dicens: Sumes aurum et argentum et facies coronas, et pones in capite Jesu Filii Josedech sacerdotis magni. Et loquêris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: ECCE VIR: ORIENS NOMEN EJUS..... Ipse extruet templum Domino. Et ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur super solio suo; et erit sacerdos super solio suo; et consilium pacis erit inter illos duos..... Et qui procul sunt venient, et ædificabunt in templo Domini: et scietis quia Dominus exercituum

Digitized by Google

misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

℟. Tu dicis quia Rex sum ego. * Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. * Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. ℣. Ego constitutus sum Rex à Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. Ego in Gloria Patri. Omnis.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Congregatis Judæis dixit Pilatus : Vultis dimittam vobis Regem Judæorum?

Ant. Pontifices persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.

Ant. Pilatus iterùm ait illis : Quid ergò faciam Regi Judæorum, qui dicitur Christus? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

℣. Memor esto, Domine, opprobrii quod exprobraverunt :

℟. Quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

In festo omn. SS. Sermo 5.

Lectio iv.

HOc desiderium flagrat in nobis, ut sicut Sanctis, sic nobis etiam Christus appareat, vita nostra; et nos quoque cum ipso appareamus in glorià. Interim nempè non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis repræsentatur, non coronatum glorià, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis, dicente scripturâ. Egredimini filiæ Sion, et videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. O Regem ! ô diadema ! Mater

Digitized by Google

siquidem Synagoga, non matrem sese exhibens, sed novercam, Regem nostrum coronâ spineâ coronavit.

℣. Exivit Pilatus ad Judæos, et ait : Nihil invenio causæ in hoc homine. * Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum et senioribus in multis, nihil respondit. ℣. Oblatus est quiâ ipse voluit, et non aperuit os suum. Et cùm.

Lectio v.

PUdeat sectari gloriam membra quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem, aut decorem, vel aliquid hujusmodi. Nimirùm Salomon est, quod interpretatum est, *Pacificus*, sanè quod in præsenti est; non utique beatificus, aut glorificus; ut in omnibus angelicum illud elogium commendetur, quo *terris pacem*, *cœlis gloriam* tradiderunt. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tàm honoris sit, quàm irrisionis.

℣. Milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem; * Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dexterâ ejus. ℣. Dixerunt impii : contumeliâ et tormento interrogemus eum, ut probemus patientiam illius. Et plectentes.

Lectio vj. Tract. de Pass. Dom. c. 4.

QUæcumque anima confitetur se filiam Sion, id est, Ecclesiæ, egrediatur à curis sæcularibus, à cogitationibus vanis, et videat per contemplationem mentis Regem Salomonem, id est, Christum Jesum, qui est pax nostra, destruens inimicitias, amicitiasque reformans inter Deum et hominem. Vide hunc, ô felix

Digitized by Google

anima, in diademate quo coronavit eum mater ejus, Synagoga, videlicet; plebs judæorum. O Mater amara! Quid peccavit hic bonus Filius tuus?..... Hancne dotem, hæccine munuscula nuptiis illius impendis?..... Hâc arrhâ, ô fidelis anima, sponsus tuus speciosus subarrhavit te; et ipse tanquàm sponsus coronatus hodiè processit. Coronatus, inquit, non auro, non gemmis, sed spinis.

℟. Adduxit Pilatus foràs Jesum, et sedit pro tribunali, et dixit eis : * Ecce Rex vester. ℣. Egredimini et videte Regem in diademate quo coronavit illum mater sua. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Exivit Pilatus foràs, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum; ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.

Ant. Exivit Jesus portans Coronam spineam et purpureum vestimentum, et dicit eis Pilatus : Ecce Rex vester.

Ant. Cùm vidissent eum Pontifices et ministri clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

℣. Acuerunt linguas suas sicut serpentis :

℟. Venenum aspidum sub labiis eorum.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit; et milites plectentes Coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Jerosolimitani.

Catechesi XIII.

INcredibilis res est Deum, Dei Filium, et brachium Domini ista perpeti. Sed ne id cre-

Digitized by Google

dere recusent qui salvi fiunt, hoc prædicit Spiritus Sanctus ex personâ Christi dicentis : (ipse enim qui tunc ea loquebatur, posteà præsens erat) Dorsum meum dedi in flagella; (Pilatus enim eum flagellatum tradidit ad crucifigendum) ; maxillas verò meas in alapas ; faciem verò meam non averti à probro sputorum; quasi diceret : Prævidi quòd me verberaturi sunt, neque maxillam leviter deflexi. Quomodò enim discipulos ad mortem pro veritate obeundam roborarem , si hoc ipse pavescerem ! Ego dixi : Qui amat animam suam perdet eam. Si vitæ amans fuissem , quomodo docerem , non faciens quæ docerem?

℣. Cum Jesu crucifixerunt duos latrones. Unus autem blasphemabat eum; et dicebat alter : Domine , memento mei , cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus. * Amen dico tibi ; hodie mecum eris in paradiso. ℣. Penetrabo omnes inferiores partes terræ , et inspiciam omnes dormientes , et illuminabo omnes sperantes in Domino. Amen dico.

Benedictio : Divinum auxilium.

Lectio viij. num. 17.

IN figurâ regnum adumbratur. Illudunt siquidem , sed genuflectunt ; crucique illum affigunt milites , priùs injectâ purpurâ, et Coronam circumponunt ejus capiti. Quid enim inde , etsi spineam? Rex omnis à militibus proclamatur. Oportuit et Jesum in figurâ à militibus coronari , ità ut propterea Scriptura in canticis dicat : Egredimini et videte , filiæ Jerusalem , Regem Salomonem in coronâ quâ coronavit eum mater sua. Mysterium verò erat etiam Corona illa ; solutio enim erat

Digitized by Google

erat peccatorum, absolutio à condemnationis sententiâ. Accepit condemnationem Adamus : *Maledicta terra in operibus tuis ; spinas et tribulos producet tibi.* Propterea Jesus spinas assumit, ut solvat maledictionem.

℟. Scripsit titulum Pilatus super crucem : * Jesus Nazarenus Rex Judæorum. ℣. Super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud amodò usque in sempiternum. Jesus. Gloria Patri. Jesus.

Nona lectio de homiliâ Feriæ, et in fine Te Deum.

AD LAUDES.

Antiphona.

VIdi cœlum apertum : et ecce qui sedebat vocabatur Fidelis et Verax ; et cum justitiâ judicat et pugnat.

Ant. Oculi ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa.

Ant. Vestitus erat veste aspersâ sanguine ; et vocatur nomen ejus : Verbum Dei.

Ant. Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.

Ant. Data est ei Corona ; et exivit vincens, ut vinceret.

CAPITULUM. *Isaiæ* 53.

DIspertiam ei plurimos ; et fortium dividet spolia ; pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est ; et ipse peccata multorum tulit ; et pro transgressoribus rogavit.

Digitized by Google

HYMNUS.

EXite, filiæ Sion,
Regis pudicæ virgines:
Christi Coronam cernite,
Quam mater ipsa texuit.
Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput;
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.
Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit?
Quæ sæva messuit manus?
Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis:
Palmamque vincens fructibus
Spina est triumphis aptior.
Culpis satæ mortalium
Te, Christe, spinæ vulnerant:
Evelle nostras cordibus;
Tuasque nostris insere.
Qui nos creavit, laus Patri;
Laus, qui redemit, Filio;
Qui nos fovet, laus Flamini.
Uni Deo sit gloria. Amen.

℣. Circumdederunt me, et exarserunt sicut ignis in spinis.

℟. Et in nomine Domini ultus sum in eos.

Ad Benedictus.

Antiph. Christus expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

Digitized by Google

ORATIO.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in memoriam passionis Domini Nostri Jesu-Christi coronam ejus spineam veneramur in terris, ab ipso glorià, et honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum vivit et regnat.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD PRIMAM.

Ant. Vidi cœlum.

In R. br. ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Oculi ejus.

CAPITULUM. *Apoc.* 14.

VIdi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo Coronam auream.

℟. *br.* Dominus regnavit; * Decorem indutus est. Dominus. ℣. Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se. Decorem. Gloria Patri. Dominus.

℣. Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

℟. Posuisti in capite ejus Coronam de lapide pretioso.

AD SEXTAM.

Ant. Vestitus erat.

CAPITULUM. *Isaiæ* 63.

TOrcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum. Calcavi eos in furore meo,

Digitized by Google

et conculcavi eos in irâ meâ ; et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.

℟. *br.* Sicut viventes, * In irâ absorbet eos. Sicut. ℣. Manus suas lavabit in sanguine peccatoris. In irâ. Gloria Patri. Sicut.

℣. Requirens sanguinem eorum recordatus est.

℟. Non est oblitus clamorem pauperum.

AD NONAM.

Ant. Data est ei.

CAPITULUM. *Apoc.* 19.

EXercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo; et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes : et ipse reget eas in virgâ ferreâ.

℟. *br.* Thronus tuus, Deus, * In sæculum sæculi. Thronus. ℣. Virga æquitatis, virga regni tui. In sæculum. Gloria Patri. Thronus tuus.

℣. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion :

℟. Dominare in medio inimicorum tuorum.

IN II. VESPERIS.

Antiphona.

GRatia vobis et pax à Jesu-Christo, qui est testis fidelis, et princeps regum terræ.

Ant. Dilexit nos et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.

Ant. Oportet illum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos sub pedibus ejus.

Digitized by Google

Ant. Cùm evacuaverit omnem principatum, novissima inimica destruetur mors.

Ant. Eum qui modicò quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloriâ et honore coronatum.

Capitulum. *Act.* 2.

Certissimè sciat omnis domus Israel quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.

HYMNUS.

Christi cruentæ, *ut in I. Vesperis.*

℣. Gloriâ et honore coronasti eum, Domine:

℟. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.

Ad Magnificat.

Antiph. Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus; et qui eum pupugerunt.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, *ut suprà ad laudes.*

Et fit commemoratio Feriæ.

Digitized by Google

Feriâ sextâ post Dominicam II. Quadragesimæ.

Festum S. FACIEI CHRISTI *in Passione deformatæ.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

OPortuit pati Christum et ità intrare in gloriam suam.

Ant. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrûm.

Ant. Asperget gentes multas. Super ipsum continebunt reges os suum.

Ant. Inglorius erit inter viros aspectus ejus; et forma ejus inter filios hominum.

Ant. Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.

CAPITULUM. *Isaiæ* 53.

IPse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum; et livore ejus sanati sumus.

HYMNUS.

O Adorandi sacra forma Christi!
Tristis extincto facies decore!
O reos propter patientis ultrò
Regis imago!

Digitized by Google

Quàm tibi dispar species ab illâ
Monte quâ celso, Deus, emicabas!
Atque vincebas rutilante circùm
Lumine solem!
Hos vides vultus: simul huc coactæ
Confluunt pœnæ, maculosa sputa,
Triste fel, spinæ, colaphi, procacis
Scommata turbæ.
Asperum spinis diadema monstrat
Debitam summo capiti coronam.
Hæc refert demens et acerba verum
Fictio Regem.
Pulchrior Sponsus nitet inter atros
Sanguinis rivos, saniemque fœdam:
Inter et vepres rigidos refulget
Pulchrior Agnus.
Vivat in nostris animis imago
Numinis passi; neque curiosos
Pascat obtutus, sed ubique puris
Fulgeat astris.
Christe, qui damno proprii decoris
Quæris informem reparare mundum,
Mentibus fœdis placeat nitentem
Reddere formam. Amen.

℣. Captabunt in animam justi:
℟. Et sanguinem innocentem condemnabunt.

Ad Magnificat.

Antiph. Dixerunt impii: Contumeliâ et tormento interrogemus eum; ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius.

ORATIO.

CONcede, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut qui Faciem Christi tui propter peccata nostra in passione deformatam

Digitized by Google

veneramur, eamdem in cœlesti gloriâ fulgentem contemplari perpetuò mereamur. Per eumdem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum despectum et novissimum virorum, virum dolorum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venitè, exultemus.

HYMNUS.

O adorandi, *ut suprà in Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fecit Dominus quæ cogitavit; complevit sermonem suum quem præceperat à diebus antiquis.

Ant. Factus sum in derisum omni populo meo; canticum eorum totâ die.

Ant. Replevit me amaritudinibus: inebriavit me absynthio.

℣. Ecce ceperunt animam meam:

℟. Irruerunt in me fortes.

De Isaia Propheta.

Lectio j. Cap. 50.

DOminus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: retrorsùm non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus; ideò non sum confusus: ideò posui faciem meam, ut petram durissimam, et scio quoniam non con-

Digitized by Google

fundar. Juxtà est qui justificat me ; quis contradicet mihi ? Stemus simul : quis est adversarius meus ? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus : quis est qui condemnet me ?

℟. Putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo et humiliatum ; * Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. ℣. Quod scriptum est oportet impleri : Et cum iniquis reputatus est. Ipse.

Lectio ij. Cap. 53.

QUis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est ? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum : despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus ; unde nec reputavimus eum. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit ; et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum à Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.

℟. Tradent Filium hominis gentibus ; illudent ei, et * Conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum. ℣. Ad occisionem ducetur, et non aperiet os suum. Conspuent.

Lectio iij.

OMnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit : et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.

Digitized by Google

Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustiâ, et de judicio sublatus est : generationem ejus quis enarrabit ? Quia abscissus est de terrâ viventium : propter scelus populi mei percussi eum.

℣. Operuit confusio faciem meam : * Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ; quoniam * Zelus domûs tuæ comedit me. ℣. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Extraneus. Gloria Patri. Zelus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Jesus procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi; si possibile est, transeat à me calix iste.

Ant. Summus Sacerdos scindens vestimenta sua, ait : Quid vobis videtur ? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

Ant. Expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

℣. Ego sum vermis et non homo :

℟. Opprobrium hominum et abjectio plebis.

Sermo S. Anselmi Episcopi.

Medit. 9. *de humanitate Christi.*

Lectio iv.

CONcilio malignantium adversùs te Pontificum, amantissime Domine Jesu, præsentatus es; et veritatem, prout oportuit, confessus, quasi de blasphemiâ adjudicatus es morti. Quanta illic indigna à propriâ gente pertulisti ! Vultum tuum honorabilem, in quem desiderant angeli prospicere, qui omnes cœlos

Digitized by Google

adimplet lætitiâ, quem deprecantur omnes divites plebis, polluti labii sui sputis inquinaverunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo operuerunt in derisionem; et te Dominum universæ creaturæ, tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt. Adhuc autem et vinctum ante faciem Pilati Præsidis te perduxerunt; postulantes suplicio crucis perimi te, qui peccatum non noveras, lupum agno, auro lutum præponentes.

℣. Qui tenebant Jesum illudebant ei, cædentes; et velaverunt eum, et * Percutiebant faciem ejus; et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. ℟. Reddes eis vicem, Domine, juxtà opera manuum suarum. Percutiebant.

Lectio v.

ATtende, anima mea, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi regis, et nihilominùs servi despectissimi confusione repletus est. Coronatus incedit; sed ipsa ejus corona cruciatus est illi, et mille puncturis speciosum ejus verticem divulnerat. Regali purpurâ induitur, sed potius in eâ despicitur quàm honoratur. Sceptrum in manu gestat; sed eo ipso caput ejus verendum feritur. Adorant coram ipso positis in terram genibus; regem conclamant; et continuò ad conspuendum amabiles genas ejus insiliunt, maxillas palmis concutiunt; et honorabile collum inhonorant. Vide, anima mea, quomodò per omnia vir iste coarctatur, et conspuitur, et spernitur.

℣. Nunc in eorum canticum versus sum, et * Factus sum eis in proverbium: abominan-

Digitized by Google

tur me et longè fugiunt à me. ℣. Oderunt me, ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Odio habuerunt me gratis. Factus sum.

Lectio vj.

RESpice, Domine, in Faciem Christi tui; qui tibi ad mortem usque obediens factus est : nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum ejus in perpetuum; ut memineris quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo susceperis. Utinam, Domine, appendas in staterâ peccata nostra quibus iram meruimus, et calamitatem quam passus est pro nobis Filius tuus ! Certè, Domine, hæc gravior apparebit, et magis digna, ut propter ipsam effundas misericordiam super nos, quàm sint illa, ut in ipsis contineas in irâ misericordias tuas. Gratias tibi, Domine, Sancte Pater, referet omnis lingua super abundantiâ pietatis tuæ; qui unico Filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis illum tradidisti in mortem, ut tantum, tamque fidelem advocatum haberemus in cœlis coram te.

℟. Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum : et * Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. ℣. Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. Ipse est. Gloria Patri. Ipse est.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dixerunt impii : Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis, et improperat nobis peccata legis.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Gloriatur Patrem se habere Deum : videamus, si sermones illius veri sunt.

Ant. Promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat : gravis est nobis etiam ad videndum.

℣. Omnes videntes me deriserunt me :

℟. Locuti sunt labiis et moverunt caput.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore ; Summus Sacerdos interrogabat Jesum, et dixit ei : Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi : Ego sum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex homil. 85 *in Matth.*

CUjus rei gratiâ Christus hoc responsum dedit? Ut omnem eorum tolleret excusationem. Idcircò ad extremam usque diem apertè se Christum esse docebat : et quòd à dextris sedeat Patris, quòdque rursùs ad judicandum orbem venturus sit ; quæ res magnam ejus ad Patrem concordiam significat. Vestimentis ergò conscissis cæteros interrogat Pontifex, dicens : *Quid vobis videtur?* Noluit à seipso sententiam proferre ; sed quasi manifestissimo peccato et Blasphemiâ patente, ab eis illam elicere voluit. Non enim ignorabat, si res in cognitionem et examinationem veniret exquisitam, ab omni eum crimine liberari ; ac ideò apud ipsos condemnari studebat, et auditores præoccupabat, dicens : Vos ipsi blasphemiam audistis. Hæc dixit urgens quasi, atque impellens adversùs eum sententiam proferre. Quid igitur illi? *Reus est mortis.* Condemnatum enim jam à se, ad Pilatum ducere volebant ; ut faciliùs ipsum

Digitized by Google

quoque ad condemnandum impellerent. Cujus rei omnes conscii respondent : *Reus est mortis.*

℟. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum : * Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet. ℣. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit; quoniam tolletur de terrâ vita ejus? Sicut.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio viij. Homil. 86.

Tunc spuerunt in faciem ejus, et colaphis eum cæciderunt. Sublimem discipulorum philosophiam admirare, qui adeò exquisitè ista referunt, ut quanti faciant veritatem facilè appareat; cùm ea quæ turpissima videntur, ad unguem exponant; nihil celantes nec erubescentes, sed eximiam putantes gloriam, (et profectò eximia est) quòd Dominus orbis talia pro nobis pati voluerit. Quæ res, et ineffabilem erga nos charitatem, protervitatemque eorum nullâ veniâ dignam ante oculos ponit; qui adversùs mitissimum illum, atque lenissimum, qui, vel quando cædebant, ea verba dicebat quibus etiam leonem in agnum redigere posset, tantam crudelitatem ostendebant. Sed ut ipse nihil lenitatis prætermisit, sic ipsi nihil contumeliæ, nihil impietatis; sed tam verbis quàm factis explere furorem suum conabantur. Quæ omnia Isaias ille prædixit, qui paucissimis verbis omnem hanc contumeliam multò antè aperuit.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extrà portam passus est. * Exeamus igitur ad eum extrà castra, improperium ejus portantes. ℣. Verè languores nostros ipse

Digitized by Google

tulit, et dolores nostros ipse portavit. Exeamus. Gloria Patri. Exeamus.

Nona lectio de homil. Feriæ, et in fine Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

CHristus non sibi complacuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me.

Ant. Blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Salva temetipsum.

Ant. Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur.

Ant. Mortuus est pro nobis, ut simul cum illo vivamus.

Ant. Dedit semetipsum pro peccatis nostris; ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 2.

PEccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui justitiæ vivamus : cujus livore sanati estis.

HYMNUS.

QUò forma cessit par Deo?
Non vultus idem, non decor;
Atro fluentem sanguine
Et ora fœdum vidimus.
Cum morte luctantis sedet
Quis fronte pallor? quis tremor?
Sudore mixtus corpore
Prorumpit è toto cruor.

Digitized by Google

Conficta testis impius
In os acervat crimina.
Divis adorandum caput
Miles scelestus percutit.
Quæ solis obscurant jubar
Velo teguntur lumina.
Dignum coronis siderum
Spinæ cruentant verticem.
Ne qua vacaret corporis
Intacta pars doloribus,
Proterva verba militum
Aures pudicas vulnerant.
Nunc tanta passum respice
Nati lubens vultum, Pater;
Nec semper observa, quibus
Iram meremur, crimina.
Per probra veram quærere
Da gloriam fidelibus:
Cum prole perpes sic tibi
Et flamini reddant decus. Amen.

℣. Domino Deo nostro justitia:
℟. Nobis autem confusio faciei.

Ad Benedictus.

Antiph. Fortium dividet spolia; pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.

ORATIO.

COncede, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut qui Faciem Christi tui propter peccata nostra in Passione deformatam veneramur, eamdem in cœlesti gloriâ fulgentem contemplari perpetuò mereamur. Per eumdem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Digitized by Google

AD PRIMAM.

Ant. Christus non sibi.

In ℟. *br.* ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Blasphemabant.

CAPITULUM. *Hebr.* 12.

PEr patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.

℟. *br.* Laqueum paraverunt pedibus meis, * Et incurvaverunt animam meam. Laqueum. ℣. Foderunt ante faciem meam foveam. Et incurvaverunt. Gloria Patri. Laqueum.

℣. Miserere mei, Deus; miserere mei;

℟. Quoniam in te confidit anima mea.

AD SEXTAM.

Ant. Pro eo quòd.

CAPITULUM. *Hebr.* 5.

CUm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam; et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

℟. *br.* Quærite faciem ejus semper; * Mementote mirabilium ejus. Quærite. ℣. Laudamini in nomine sancto ejus. Mementote. Gloria Patri. Quærite.

℣. Ipse Dominus Deus noster:

℟. In universâ terrâ judicia ejus.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Dedit semetipsum.

CAPITULUM. *Hebr.* 5.

IN diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exaúditus est pro suâ reverentiâ.

℣. *br.* Ne avertas faciem tuam, Domine, * A puero tuo. Ne avertas. ℣. Non erubescant qui expectant te, Domine. A puero. Gloria Patri. Ne avertas.

℣. Intende animæ meæ et libera eam:
℟. Propter inimicos meos eripe me.

IN II. VESPERIS.

Antiphona.

REcogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem.

Ant. Cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur.

Ant. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Ant. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

Ant. Ecce venit cum nubibus; et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 4.

FRatres: Prædicamus, Jesum Christum Dominum nostrum: nos autem servos ves-

Digitized by Google

tros per Jesum : Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in Facie Christi Jesu.

HYMNUS.

QUid obstupendum cernimus!
Christum, triumphatâ nece,
Celsis sedentem nubibus
Hinc inde stipant agmina.
At quantus et quis vultui
Accessit ex plagis honor!
Tormenta, probra, dedecus
Qualis repensat gloria!
Damnatus insons à reis
In jus redibit judicis:
Ad cujus ora mox trement
Dijudicandi judices.
Irrisa tot ludibriis
Crux, inter aera fulgurans,
Terror reis, probis amor,
Micabit ad Regis latus.
Fixere quem diræ trabi
Cernent, pavebunt, ingement.
Vultu beabit quo suos,
Hoc dissipabit impios.
At luce jam signat suâ
Quos livor ejus liberat;
Ut particeps sit gloriæ
Qui proficit doloribus.
Qui nos creavit, laus Patri;
Qui nos redemit, Filio;
Fovens redemptos gratiâ,
Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

Digitized by Google

℣. Illuminet Deus vultum suum super nos:

℟. Et misereatur nostri.

Ad Magnificat.

Antiph. Eum qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum.

ORATIO.

Concede, quæsumus, *ut suprà ad laudes. Et fit commemoratio Feriæ.*

Feriâ sextâ post Dominicam III. Quadragesimæ.

Festum PRETIOSISSIMI SANGUINIS *D. N. Jesu-Christi.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona:

DIxit Dominus ad Caïn: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.

Ant. Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ.

Ant. Dixit Judas, qui tradidit Jesum principibus Sacerdotum: Peccavi tradens Sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos?

Ant. Dixit Judæis Pilatus: Innocens ego sum à Sanguine justi hujus. Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.

Digitized by Google

Ant. Veniet omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, super generationem istam.

CAPITULUM. *Hebr.* 12.

ACcessistis ad testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel. Videte ne recusetis loquentem.

HYMNUS.

TE canat laudis studio paternæ,
Christe Salvator, benè pertinaci
Te canat zelo, trepidansque totus
Orbis adoret.

Quis tibi nostrâ tolerata causâ,
Probra, mœrores, gemitus, timores,
Dicet? invicto licet immerentis
Gentis amore.

Sive languentem tacitis in hortis
Deserit Sanguis, fera sive turba
Militum loris secat, aut cruenta
Lancea figit.

Quantus in cœlis amor intùs ussit,
Tantus è plagâ cruor exilivit:
Nec piget fusum, piget esse paucis
Utile vulnus.

Proh! dolor! paucos socios dolorum
Invenit, plagâ meliore fossus;
Sentit in multis graviora, Jesus,
Vulnera ferro.

Lumînis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus veneretur Orbis,
Cujus in terris proprio cruore
Crimina lavas. Amen.

Digitized by Google

℣. Christus lavit nos à peccatis nostris,
℟. In Sanguine suo.

Ad Magnificat.

Antiph. Non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis; sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi, et incontaminati.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanguine Filii tui placari, et nos redimi voluisti: concede nobis, quæsumus, salutis nostræ pretium ita recolere, ut et nunc veniam, et in æternùm gloriam consequi valeamus. Per eumdem.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit Sanguine, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

Te canat laudis, *ut suprà in vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo.

Ant. Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Ant. Quoniam ipse prior dilexit nos, misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

℣. Misericors et miserator Dominus,
℟. Redemptionem misit populo suo.

Digitized by Google

De Libro Exodi.

Lectio j. Cap. 12.

DIxit Dominus ad Moysem et Aaron in terrâ Ægypti :..... Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, et dicite eis : Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias et domos suas. Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus, juxtà quem ritum tolletis et hædum ; et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus ; immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, et sument de sanguine ejus ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

℟. Peccatores effabuntur, et loquentur iniquitatem : captabunt in animam justi, * Et Sanguinem innocentem condemnabunt. ℣. Tradent Filium hominis gentibus ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum. Et Sanguinem.

Lectio ij.

TRansibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque omne primogenitum in terrâ Ægypti, ab homine usque ad pecus ; et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis ; et videbo sanguinem, et transibo vos ; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis hanc diem in monumentum, et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

℟. Opus iniquitatis in manibus eorum : pedes eorum ad malum currunt ; et * Festi-

Digitized by Google

nant ut effundant Sanguinem innocentem. ℣. Omnes principes Sacerdotum et seniores, vinctum adduxerunt Jesum, et tradiderunt Pilato. Festinant ut.

Lectio iij.

VOcavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, et dixit ad eos : Ite tollentes animal per familias vestras, et immolate phase; fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem. Nullus vestrum egrediatur ostium domûs suæ usque manè. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios : cùmque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium Dominus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras, et lædere.

℣. Jesus factus in agoniâ prolixiùs orabat; * Et factus est sudor ejus sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram. ℣. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et factus. Gloria Patri. Et factus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui.

Ant. Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.

Ant. Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.

℣. Ipse redimet Israel,

℟. Ex omnibus iniquitatibus ejus.

Sermo

Digitized by Google

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ex homil. ad Neophytos, circà medium. tom. 5.

Lectio iv.

VUltis sanguinis Christi audire virtutem? Redeamus ad ejus exemplum et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto nocte mediâ Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, qui primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judæorum unà cum illis periclitaretur, quià unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proindè exemplum mirabile ut discas in veritate virtutem. Ira divinæ indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circumibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas.

℟. Vidimus eum, virum dolorum et scientem infirmitatem: * Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. ℣. Jesum flagellis cæsum eduxerunt in calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum. Ipse.

Lectio v.

QUid ais, Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valdè, inquit. Non eò quod sanguis est; sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum. Nam sicut regnantium statuæ quæ sine causâ sunt et sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus animâ et ratione decoratis subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem Principalem; ità et sanguis ille qui irra-

Digitized by Google

tionabilis fuit, animos habentes homines liberavit, non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguinis ostendebat adventum.

℟. Si Sanguis hircorum et taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; * Quantò magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? ℣. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum, et ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum. Quantò magis.

Lectio vj.

ET tunc Angelus ille vastator, cùm linitos postes atque aditus pervideret, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergò si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem Sanguinem veritatis, Christi templi postibus dedicatum, multò magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quantò magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem?

℟. Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo, * In sanguine tuo. ℣. Et fecisti nos Deo nostro Regnum, et regnabimus super terram. In Sanguine tuo. Gloria Patri. In Sanguine tuo.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Vos qui aliquando eratis longè, facti estis propè in Sanguine Christi.

Ant. Habentes fiduciam in introitu sanctorum in Sanguine Christi, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei.

Digitized by Google

Ant. Justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ per ipsum.

℣. Apud Dominum misericordia;

℟. Et copiosa apud eum redemptio.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit; Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 83. *in cap.* 19. *Joann.*

UBique demonstrare adnititur, novam hanc mortem fuisse. Siquidem in potestate morientis erat, ne priùs quàm ipse vellet, et omnia impleta essent, moreretur. Ideò dicebat; *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterùm sumendi eam.* Sciens ergo omnia consummata, ait; *Sitio*; etiam hoc verbo prophetiam implens. Tu autem adstantium pravitatem intellige : Nam licet innumeros habeamus inimicos, qui nos gravissimè persecuti sint, cùm tamen interimi eos videmus, flectimur misericordiâ; hi verò nihil moti, magis efferantur, et irrident, aceturnque in spongiâ porrigunt, ut bibat tanquam reus; nam propter hoc hyssopum additur; quo gustato, mortuus est. Vides quàm non perturbatè, et quàm potenter omnia.

℟. Complacuit Deo Patri, per Jesum reconciliare omnia in ipsum, * Pacificans per Sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. ℣. Erit Sanguis Agni vobis in signum : cùmque viderit Dominus Sanguinem, non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere. Pacificans.

Digitized by Google

Lectio viij.

ET continuò exivit sanguis et aqua. Non casu et simpliciter hi fontes scaturierunt; sed quoniam ex ambobus constituta est Ecclesia. Sciunt hoc initiati, per aquam regenerati, sanguine et carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Qui ipse Christi Sanguis nostrarum animarum est salus, quo abluitur anima, ornatur et inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem; hic auro clariorem animam facit. Hic Sanguis effusus est, et cœlum fecit nobis accessibile. Hic terrarum orbis est pretium, hoc Christus emit Ecclesiam, hoc eam omnem adornavit. Hujus Sanguinis participes cum Angelis et Archangelis, et supernis manent virtutibus, ipsam Regiam Christi stolam induti, et arma spiritualia gerentes. Sed nihil adhuc dixi; ipsum enim induti sunt Regem.

℣. Beati qui lavant stolas suas in Sanguine Agni. * Ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. ℣. In Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Ut sit. Gloria Patri. Ut sit.

Nona Lectio de homiliâ Feriæ occurrentis. Et in fine : Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

QUis est iste qui venit tinctis vestibus? Iste formosus in stolâ suâ.

Digitized by Google

Ant. Vestitus erat veste aspersâ Sanguine; et vocatur nomen ejus : Verbum Dei.

Ant. Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.

Ant. Participavit carni et Sanguini : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium.

Ant. Non quemadmodum Pontifex intrat in sancta in sanguine alieno; Christus ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

CHristus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.

HYMNUS.

QUicumque defixam cruci
Dei vides imaginem,
Simulque diro conspicis
Mucrone confossum latus;
Agnosce quanto vulnere
Natura læsa decidit.
Divinus en tanti cruor
Medela sola vulneris.
Nos ergo Christus innocens
Livore sanavit suo;
Nostrosque languores tulit,
Ut languidis foret salus.
Qui tanta passus es, Deus,
Ne sit tibi cassus labor:

Digitized by Google

Nec Sanguinis fructum tui
Sinas nocentes perdere.
Qui nos creavit, laus Patri;
Laus, qui redemit, Filio;
Fovens redemptos gratiâ,
Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

℣. Empti estis pretio magno :

℟. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Ad *Benedictus*.

Antiph. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanguine Filii tui placari, et nos redimi voluisti: concede nobis, quæsumus, salutis nostræ pretium ita recolere, ut et nunc veniam, et in æternùm gloriam consequi valeamus. Per eumdem.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD PRIMAM.

Ant. Quis est iste.

In ℟. br. ℣. Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Ant. Vestitus erat.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

CHristus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis; neque per sanguinem hircorum,

Digitized by Google

aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.

℟. *br.* Redemisti nos, Deus, * In Sanguine tuo. Redemisti. ℣. Et fecisti nos Deo nostro Regnum. In Sanguine tuo. Gloria Patri. Redemisti.

℣. Christus per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta;

℟. Æternâ redemptione inventâ.

AD SEXTAM.

Ant. Dilexit nos.

CAPITULUM. *Hebr.* 9.

SI sanguis hircorum et taurorum, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi!

℟. *br.* Christus per proprium Sanguinem, * Introivit semel in Sancta. Christus. ℣. Æternâ redemptione inventâ. Introivit. Gloria Patri. Christus.

℣. Justificati in Sanguine ipsius;

℟. Salvi erimus ab irâ per ipsum.

AD NONAM.

Ant. Non quemadmodum.

CAPITULUM *Hebr.* 9.

TAbernaculum et omnia vasa ministerii sanguine aspersit Moyses: et omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio.

Digitized by Google

℟. Justificati * In Sanguine ipsius. Justificati. ℣. Salvi erimus ab irâ per ipsum. In Sanguine ipsius. Gloria Patri. Justificati.

℣. Christus lavit nos à peccatis nostris,

℟. In Sanguine suo.

IN II. VESPERIS.

Antiphona.

MAgna et mirabilia sunt opera tua, Domine. Quis non magnificabit nomen tuum? quia solus pius es.

Ant. Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus; quoniam occisus es, et redemisti nos.

Ant. Redemisti nos Deo in Sanguine tuo; et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ant. Habentes itaque fiduciam in Sanguine Christi, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei.

Ant. Quanta putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et Sanguinem testamenti pollutum duxerit?

CAPITULUM. *Apoc.* I.

GRatia vobis et pax à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ, qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo.

HYMNUS.

SPerate, mortales, gravi,
Peccata quos premunt, jugo.
Qui Sanguis in terram fluit,
Vestræ salutis pignus est.

Digitized by Google

Divina mundi victima,
Amando non servas modum.
Cur totus it venis cruor?
Guttam dedisse sufficit.
Immensus hoc amor jubet,
Suasque dat leges tibi.
Hic solus imponit crucem;
Et crux amanti fit levis.
Sic ergo, Christe, nos amas!
Salvare sic mundum juvat!
O ter beatum! cui licet
Tecum pati, tecum mori.
Qui nos creavit, laus Patri;
Laus, qui redemit, Filio;
Fovens redemptos gratiâ,
Par sit tibi laus, Spiritus. Amen.

℣. Quid mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram?

℟. Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.

Ad Magnificat.

Antiph. Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

ORATIO.

Omnipotens, etc. *ut in laudibus.*
Et fit commemoratio Feriæ.

Digitized by Google

Feriâ sextâ antè Dominicam Passionis.

Dies Indulgentiarum. RESURRECTIO S. LAZARI, *et Translatio Reliquiarum ejusdem.* Duplex II. classis.

(Sub eo ritu celebratur per totam Diœcesim, ex decreto Illustr. et Rever. Episcopi Henrici de Belzunce An. 1731; *quod Illustriss. et Reverendiss. DD. Carolus-Fortunatus de Mazenod An.* 1824 *confirmavit.)*

Si occurrat hac die Festum Annunciationis B. M. V. vel Sancti Patriarchæ Josephi, Officium Resurrectionis S. Lazari, tàm in Ecclesiâ Cathedrali quàm extrà per Diœcesim, transfertur in sequentem diem. ≔ *Aliud verò quodcumque festum novem lectionum occurrens transfertur in primam diem non impeditam. De SS. Mart. Perpetuâ et Felicitate hac die occurrentibus fit commem. in Laud. et Missâ (privatâ tantùm) juxtà Rubr. Breviarii et Missalis Romani.*

Quandò festum Annunciationis B. M. V., vel S. Josephi concurret cum Resurrectione S. Lazari in I. vel II. Vesperis; tunc Vesperæ integræ erunt de Annunciatione, vel de S. Josepho, cum commemoratione S. Lazari. Idem servabitur quando officium S. Lazari propter concursum prædictorum festorum ad sequentem diem fuerit translatum. Extràhos casus Officium S. Lazari habet semper utrasque vesperas integras cum

Digitized by Google

commem. alterius duplicis præcedentis, vel sequentis. De semiduplicibus in I. Vesperis S. Lazari non fit commemoratio. In secundis autem fit commem. cujuscumque festi seq. etiam simplicis. Nec omittitur unquam in utrisque vesperis et laudibus commemoratio Feriæ.

In Cathedrali primæ vesperæ dicuntur post meridiem, horâ solitâ per annum : Secundæ verò post nonam recitantur antè commestionem.

AD VESPERAS.

Antiph. Lazarus, *cum reliquis de laudibus. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ; et loco ultimi, Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

CAPITULUM. *Ezech.* 37.

HÆc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris ; et scietis quia ego Dominus.

HYMNUS.

LUmen nascens de lumine,
Imago Patris unica,
Sis, Christe, laus canentium,
Primumque festi gaudium.
Fortis coronam militis,
Sacri triumphum Præsulis,
Palmas amici Lazari,
Arasque mitis respice.
Dum condoles Sororibus
Quatriduanum mortuum,
Alto fremens suspirio,
Sacris rigasti fletibus.

Digitized by Google

Fortis ligatum mors tenet;
Sed fortior dilectio.
Amore victa mors fugit,
Vitamque vita contulit.
Mortis solutus legibus,
Crucem ferendam prædicat.
Fit præco verbi mortuis,
Quo mortuus surrexerat.
Revixit ut datam pio
Vitam daret certamine;
Tuasque, Christe, lacrymas
Fusus cruor rependeret.
Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Domine, eduxisti ab inferno animam meam:

℟. Salvasti me à descendentibus in lacum.

Ad Magnificat.

Antiph. Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit: Lazare, veni foras; et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Lazarum Christi discipulum, quatriduanum mortuum suscitatum, Pontificio et Martyrio decorasti; concede nobis ejus meritis à peccatis resurgere, et vitâ æternâ gaudere. Per eumdem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Regem, qui quatriduanum de sepulchro excitavit Lazarum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

REdditum luci, Domino vocante,
Lazarum, turbæ, domitamque mortem,
Laudibus festis, modulisque sacri
Dicite cantûs.

Ille qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensâ,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Conditur antro.

Heu! tuâ præsens ope, si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, astitisses;
Viveret, necdum premerentur atrâ
Lumina nocte.

Jamque mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam:
Nunc et extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis funus, fremituque prodis
Quàm pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia, Spiritumque,
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus.

Psalmi nocturnorum sumuntur de communi Confess. Pontif.

Ant. Maria erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur.

Ant. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur.

℣. Dominus amat judicium; non derelinquet sanctos suos;

℟. In æternùm conservabuntur.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. Cap. 4.

IN diebus illis : Venit mulier Sunamitis ad Eliseum in montem Carmeli : Cumque vidisset eam vir Dei è contrà, ait ad Giezi puerum suum : Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in ôccursum ejus, et dic ei : Rectè ne agitur circa te, et circa virum tuum, et circa filium tuum? Quæ respondit : Rectè. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus; et accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei : Dimitte illam : anima enim ejus in amaritudine est; et Dominus celavit à me, et non indicavit mihi. Quæ dixit illi : Numquid petivi filium à domino meo? Numquid non dixi tibi : Ne illudas me?

℣. Miserunt sorores Lazari ad Jesum, dicentes : * Domine, ecce quem amas infirma-

Digitized by Google

tur. ℣. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Domine, ecce.

Lectio ij.

ET ille ait ad Giezi : Accinge lumbos tuos, et tolle baculum meum in manu tuâ, et vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum : et si salutaverit te quispiam, non respondeas illi : et pones baculum meum super faciem pueri. Porro mater pueri ait : Vivit Dominus, et vivit anima tua; non dimittam te. Surrexit ergo, et secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus. Reversusque est in occursum ejus, et nuntiavit ei, dicens : Non surrexit puer.

℣. Lazarus amicus noster dormit; sed vado ut à somno excitem eum. * Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si dormit, salvus erit. ℣. Dixerat Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret. Dixerunt ergo.

Lectio iij.

INgressus est ergo Elizeus domum; et ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus : ingressusque clausit ostium super se, et super puerum : et oravit ad Dominum. Et ascendit, et incubuit super puerum : posuitque os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus : et incurvavit se super eum : et calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo, semel huc atque illuc, et ascendit, et incubuit super eum : et oscitavit puer septies,

Digitized by Google

aperuitque oculos. At ille vocavit Giezi, et dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. Venit illa, et corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram: tulitque filium suum, et egressa est; et Elizeus reversus est in Galgala.

℣. Dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus, sed et nunc * Scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. ℟. Dixit illi Jesus: Resurget frater tuus. Scio quia. Gloria Patri. Scio quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem; sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

Ant. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

Ant. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

℣. Vocabis me, et ego respondebo tibi:

℟. Operi manuum tuarum porriges dexteram.

Lectio iv.

ECce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hodie enim Sancta Massiliensis Ecclesia cœlestem indulgentiarum thesaurum solemniter recolit, quem Pontificiâ liberalitate suscepit. Hoc autem sic contigit. Fervente Schismate, et universo orbe Christiano in varias partes distracto, agnovit zelo candido ac sincero Massilia cum Galliarum regno Clementem VII. in Summum Pontificem, qui Ave-

Digitized by Google

nione sedem statuit. Ille verò in memoriam tantorum beneficiorum quibus cum Cardinalibus suis à Clero, populoque Massiliensi affectus fuerat; tum etiam propter summam fidelitatem in quâ ergà illustrem Joannam Siciliæ Reginam, et Massiliæ Dominam, calamitosis illis temporibus perstiterant, ex indulgentiarum thesauro copiosa ipsis munera erogavit.

℣. Jesus ergo, ut vidit Mariam plorantem, et Judæos qui venerant cum eâ plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum; et dixit: Ubi posuistis eum? * Dicunt ei: Domine, veni et vide. ℣. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Dicunt ei.

Lectio v.

COncessit autem Summus Pontifex omnibus verè pœnitentibus ac confessis, qui sextâ feriâ Dominicam quartam Quadragesimæ immediatè sequenti, hanc Ecclesiam Cathedralem devotè visitaverint annuatim, et ad fabricam ipsius Ecclesiæ manus adjutrices porrexerint, seu alias inibi pias eleemosynas erogârint, peccatorum remissiones, et indulgentias similes illis quæ, in festivitate Beatorum Apostolorum Petri et Pauli Basilicam Principis Apostolorum de Urbe visitantibus annuatim, authoritate Apostolicâ, sunt concessæ. Verùm ne cui dubium suboriri possit, Martinus quintus Summus Pontifex, omnia Pontificum, qui per hoc schisma sederunt, decreta quæ ad fidem et bonos mores pertinent, rata esse voluit. Tantam ergo cœli munificen-

Digitized by Google

tiam piè, humiliter, et devotè suscipiamus, ut fructus dignos pœnitentiæ facientes, Christus hoc Paschate à mortuis surrecturus, mundos nos ab omni iniquitate inveniat.

℟. Jesus ergo rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum : erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. * Ait Jesus : Tollite lapidem. ℣. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet; quatriduanus est enim. Ait Jesus.

Lectio vj.

EOdem die celebratur translatio insignis Reliquiæ Sancti Lazari, quæ ex Melite insulâ, ubi longo tempore, devoto cultu venerata fuerat, asportata est. Hanc Illustriss. et Reverendiss. D.D. Carolus-Fortunatus de Mazenod, primus Massiliensium, post restauratam Sedem, Episcopus, diligenti examine et legitimis documentis recognitam, recurrente feriâ sextâ antè Dominicam Passionis, die secundâ Aprilis anni millesimi octingentesimi vigesimi quarti, solemni pompâ, præsentibus R.R. Canonicis, totius cleri populique concursu, ad Ecclesiam Cathedralem attulit, et honorificè collocavit. Ejusdem solemnitatis occasione reliquiæ Sanctorum Victoris Martyris, Cannati Episcopi Massiliensis, Adriani Martyris, et Cassiani Abbatis, pluresque aliæ Sanctorum Reliquiæ, quibus Ecclesia Cathedralis primitùs erat decorata, quasque, per furentes Gallicanæ revolutionis procellas, ab impiorum perquisitionibus pia fidelium cura subtraxerat, postquàm similiter visæ sunt ac probatæ, ex S. Martini Ecclesiâ, ubi jam pluribus annis depositæ servabantur, ad prædictam Cathedralem Eccle-

Digitized by Google

siam, simul cum S. Lazari Reliquiâ denuò sunt allatæ.

℣. Dominus adjutor meus, et protector meus : * In ipso speravit cor meum, et adjutus sum. ℣. Et refloruit caro mea, et ex voluntate meâ confitebor ei. In ipso. Gloria Patri. In ipso.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Martha ergo, ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi; Maria autem domi sedebat.

Ant. Dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.

Ant. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo :

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

De Lazaro à mortuis suscitato. Serm. 63.

POst Apostolicam lectionem, cupientibus nobis ad Evangelicas redire virtutes, mox Lazarus ab inferis reversus occurrit, apportans vincendæ mortis formam, deferens resurrectionis exemplum. Si ergo placet..... antequàm facti talis altitudinem penetremus, resurrectionis tantùm contemplemur aspectum : quia hóc

Digitized by Google

signum videmus esse signorum..... mirabilium esse mirificentiam pervidemus. Suscitaverat Dominus filiam Jaïri principis Synagogæ; sed adhuc funere calente, sed adhuc mediante morte, corpore adhuc præsente, ... ac ne multis (dicam) sic mortuæ vitam reddidit, ut jus maneret inferni. Suscitavit et unicum matris; sed sic ut retineret pheretrum, ut anticiparet sepulchrum, ut corruptionem suspenderet et præveniret fœtorem, ut antè mortuo vitam redderet, quàm tota mortuus jura mortis intraret.

℣. Jesus autem, elevatis sursùm oculis, dixit: * Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis. ℣. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit: Lazare, veni foras. Pater, gratias.

Lectio viij.

CIrcà Lazarum verò quod geritur totum singulare est; cujus mors, cujus resurrectio commune nihil habet cum prædictis: quem circà, et vis tota mortis impleta est, et forma resurrectionis tota resplendet. Audeo, et dico totum rapuisse resurrectionis Dominicæ Sacramentum, triduanus ab inferis Lazarus si rediisset: nam Christus rediit triduanus, ut Dominus; Lazarus revocatur quatriduanus, ut servus. Sed ad probanda quæ diximus, jam prælibemus aliqua lectionis. *Miserunt, inquit, sorores ejus ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sic dicentes affectum pulsant, interpellant amorem, conveniunt charitatem, necessitudinem necessitudine gestiunt submovere. Sed Christus, cui plus est mortem vincere quàm removere languorem;

Digitized by Google

cujus amare illud est, non ut dilectum allevet, sed ab inferis ut reducat; dilecto non languoris medicinam, sed resurrectionis gloriam mox paravit.

℟. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum ut et Lazarum interficerent. * Quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum. ℣. Venit turba multa ex Judæis, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit à mortuis. Quia multi. Gloria Patri. Quia multi.

Lectio ix.

UT audivit infirmari Lazarum, sicut dicit Evangelista, *mansit in eodem loco duobus diebus.* Videtis quemadmodum dat locum morti..... Ut tartarus rapiat, traliat, habeat, admittit: atque agit ut humana spes tota pereat, et tota vis mundanæ desperationis accedat: quatenùs quod facturus est divinum sit, non humanum. Tantum autem in loco spectatione mortis residet, ut et mortuum ipse nunciet, et tunc ad Lazarum denunciet se venire. Ait enim: *Lazarus mortuus est, et gaudeo.* Hoc est amasse. Gaudebat Christus quia mœror mortis vertendus mox erat resurrectionis in gaudium. *Et gaudeo propter vos.* Quare *propter vos?* Quia in morte et resurrectione Lazari, figura tota mortis et resurrectionis dominicæ pingebatur; et quod erat secuturum mox in Domino, jam præcedebat in servo.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

LAzarus amicus noster dormit : sed vado ut à somno excitem eum.

Ant. Dixit Jesus manifestè : Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi; sed eamus ad eum.

Ant. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

Ant. Domine, si fuisses hîc, frater meus non esset mortuus; ecce jam fœtet quatriduanus in monumento.

Ant. Maria ergo cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

CAPITULUM. *Ezech.* 37.

HÆc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris : Et scietis quia ego Dominus.

HYMNUS.

PAnditur saxo tumulus remoto :
Intimos clamor penetrat recessus;
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.
Proh stupor ! notas repetit medullas
Spiritus : cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit et hæres.

Digitized by Google

Ipsa sic ruptis inimica vinclis
Mors fugit, vinci patiens : futuris
Summa præludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.
Ut Patrem semper pia, Spiritumque,
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Eripuisti animam meam de morte;
℟. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Ad Benedictus.

Antiph. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

ORATIO.

DEus, qui beatum Lazarum Christi discipulum, quatriduanum mortuum suscitatum, Pontificio et Martyrio decorasti : concede nobis ejus meritis, à peccatis resurgere, et vitâ æternâ gaudere. Per eundem Dominum.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD TERTIAM.

Ant. Dixit Jesus manifestè.

CAPITULUM. *Thren.* 3.

LApsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi : Perii : Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.

℟. *br.* De ventre inferi clamavi, * Et exaudisti vocem meam. De ventre. ℣. Tu autem,

Digitized by Google

Domine, miserere mei, et resuscita me. Et exaudisti. Gloria Patri. De ventre.

℣. Dominus amat judicium; non derelinquet sanctos suos.

℟. In æternum conservabuntur.

AD SEXTAM.

Ant. Multi autem.

CAPITULUM. *Eccli.* 2.

SUstine et in humilitate tuâ patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te.

℟. *br.* Dominus amat judicium; * Non derelinquet sanctos suos. Dominus. ℣. In æternum conservabuntur. Non derelinquet. Gloria Patri. Dominus.

℣. Humiliatus sum, et liberavit me Dominus.

℟. Eripuit animam meam de morte.

AD NONAM.

Ant. Maria ergo.

CAPITULUM. *Osée* 13.

DE manu mortis liberabo eos; de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors! morsus tuus ero, inferne.

℟. *br.* Humiliatus sum, * Et liberavit me Dominus. Humiliatus. ℣. Eripuit animam meam de morte. Et liberavit. Gloria Patri. Humiliatus.

℣. Sublevabis de corruptione vitam meam.

℟. Domine Deus meus.

IN

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Antiph. Lazarus, *cum reliquis de laudibus.* *Ps.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ; et loco ultimi dicitur sequens.*

Psalmus 78.

DEus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum:* posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquàm aquam in circuitu Jerusalem: * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Usquequò Domine irascêris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: * et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum:

Ne fortè dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in Nationibus coram oculis nostris.

Digitized by Google

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est : * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundùm magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum :

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

CAPITULUM. *Ezech.* 37.

HÆc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris ; et scietis quia ego Dominus.

HYMNUS.

QUæ nos festa vocant? Debita Lazari
Pangit Relliquiis carmina civitas.
Has Christo docilis gens fidei suæ
Testes monstrat et obsides.
Exultat pietas ; tincta cruoribus
Et subtracta feris membra recolligens.
Velis tecta sacris, tutaque pixide
Altari medio locat.
Custos nempè Deus, turbine Martyrum
Dispergi cineres, ossaque conteri
Non umquam patitur : opprobrium necis
Summis pensat honoribus.
Has tu Relliquias, civis et advena,
Vultu et corde piò suspice ; pœnitens
Vinces propositum ; si reus, oscula
Tot sunt vulnera Martyri.

Digitized by Google

Patri maxima laus; maxima Filio;
Amborumque Sacro maxima Flamini;
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per funera vincere. Amen.

℣. Omnia ossa mea dicent:
℟. Domine, quis similis tibi?

Ad Magnificat.

Antiph. Ossa ejus pullulent de loco suo: Nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis.

ORATIO.

Deus, qui B. Lazarum, *ut suprà in laudibus.*

Et fit commemoratio Feriæ.

Dominicâ III. post Pascha.

Officium PATROCINII *S. Joseph Confessoris.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiph. Jacob autem, *cum reliquis de laudibus. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ, et loco ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

CAPITULUM. *Genes.* 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus; donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Digitized by Google

HYMNUS.

TE, Joseph, celebrent agmina cœlitum:
Te cuncti resonent Christiadum chori;
Qui clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.

Almo cùm tumidam germine Conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius;
Afflatu superi flaminis Angelus
Conceptum Puerum docet.

Tu natum Dominum stringis; ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas:
Amissum Solymis quæris, et invenis;
Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia consecrat;
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, superis par, frueris Deo,
Mirâ sorte beatior.

Nobis, Summa Trias, parce precantibus;
Da Joseph meritis sidera scandere;
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum. Amen.

℣. Constituit eum Dominum domûs suæ; Alleluia.

℟. Et Principem omnis possessionis suæ. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Cùm esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Spon-

Digitized by Google

sum eligere dignatus es, præsta quæsumus; ut, quem Proctectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis, etc.

Et fit commemoratio Dominicæ tertiæ post Pascha.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Laudemus Deum nostrum : * In veneratione beati Joseph Protectoris nostri. Alleluia.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

Te, Joseph, celebrent, *ut suprà in Vesperis.*

AD NOCTURNUM.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum; et esto ibi usque dum dicam tibi. Alleluia.

Et sub illâ dicuntur 3. *psalmi primi Nocturni de Communi Conf. non Pontificis.*

℣. Confitebor nomini tuo, Alleluia.

℟. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi. Alleluia.

De Libro Genesis.

Lectio j. Cap. 41.

PLacuit Pharaoni consilium, et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos : Nùm invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph : Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, nunquid sapientiorem, et consimilem tui, in-

Digitized by Google

venire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni solio te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu suâ, et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stolâ byssinâ, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti. Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terrâ Ægypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum, linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi.

℣. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, et dominum universæ domus ejus: * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos. Alleluia. ℣. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Exaltavit.

Sermo S. Bernardini Senensis.

Serm. I. de Sancto Joseph.

Lectio ij.

OMnium singularum gratiarum, alicui rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula est, quòd quandocumque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet, quæ illi personæ sic electæ, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiosè decorant. Quod maximè verificatum est in Sancto Joseph, putativo Patre

Digitized by Google

Domini Nostri Jesu Christi, et vero sponso Reginæ mundi, et Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus est fidelis Nutricius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet Filii ejus, et Sponsæ suæ; quod officium fidelissimè prosecutus est..... Profectò dubitandum non est quòd Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquàm filius Patri suo, in cœlis utique non negavit, quin potiùs complevit, et consummavit..... Memento igitur nostrî, beate Joseph, et tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede : sed et Beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen.

℟. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum : * Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Alleluia. ℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

Tertia lectio erit de homiliâ Dominicæ.

AD LAUDES.

Antiphona.

JAcob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de quâ natus est Jesus, qui vocatur Christus. Alleluia.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominicâ.*

Ant. Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad

Digitized by Google

Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Alleluia.

Ant. Ascendit autem Joseph à Galilæâ de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem. Alleluia.

Ant. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Alleluia, alleluia.

Ant. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Alleluia.

CAPITULUM. *Gen* 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

HYMNUS.

COElitum, Joseph, decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suscipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem chorus vatum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus regum, et Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur æther,
Se tibi subdit.

Digitized by Google

Laus sit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitæ. Amen.

℣. Dedisti mihi protectionem salutis tuæ, Alleluia;

℟. Et dextera tua suscepit me. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Joseph, Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in eâ natum est, de Spiritu Sancto est. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui ineffabili providentiâ beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es; præsta quæsumus, ut, quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis, etc.

Et fit commemoratio Dominicæ tertiæ post Pascha.

AD TERTIAM.

Ant. Missus est.

CAPITULUM. *Genes.* 49.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaræi inter fratres suos.

℟. *br.* Constituit eum Dominum Domus suæ, * Alleluia, alleluia. Constituit. ℣. Et Principem omnis possessionis suæ. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Constituit.

Digitized by Google

℣. Confitebor nomini tuo, Alleluia.

℟. Quoniam adjutor et Protector factus es mihi. Alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Ascendit autem.

CAPITULUM. *Gen.* 49.

DEus patris tui erit adjutor tuus; et omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper.

℟. *br.* Confitebor nomini tuo, * Alleluia, alleluia. Confitebor. ℣. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi. Alleluia; alleluia. Gloria Patri. Confitebor.

℣. Justus germinabit sicut lilium; Alleluia.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Et ipse Jesus.

CAPITULUM. *Gen.* 49.

FIlius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

℟. *br.* Justus germinabit sicut lilium, * Alleluia, alleluia. Justus. ℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Justus.

℣. Plantatus in domo Domini, Alleluia.

℟. In atriis domûs Dei nostri. Alleluia.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis; præter ea quæ sequuntur:

℣. Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi; Alleluia.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentiâ, *ut suprà in laudibus.*

Et fit commemoratio Dominicæ tertiæ post Pascha.

* *Si occurrat hac die festum duplex secundæ classis, tunc Officium Patrocinii transferetur ad primam diem non impeditam festo novem lectionum. Quòd si concurrerit Patrocinium S. Josephi cum Apparitione S. Michaelis Archangeli, vel cum S. Joanne antè Portam Latinam, fiat de S. Josepho, et prædicta festa ad primam diem non impeditam transferantur.*

Digitized by Google

Die V. Maii.

In festo INVENTIONIS *S. Mariæ Magdalenæ.* Duplex.

Omnia de communi Sanctarum nec Virginum nec Martyrum, præter ea quæ sequuntur:

In secundis vesperis S. Monicæ, à capitulo fit de S. Maria Magdalena.

CAPITULUM. *Prov.* 31.

MUlierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HYMNUS.

PAter superni luminis,
Cùm Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.
Amore currit saucia,
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, et ore lambere.
Adstare non timet Crucí;
Sepulchro inhæret anxia;
Truces nec horret milites;
Pellit timorem charitas.
O vera, Christe, charitas,
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratiâ,
Tu redde Cœli præmia.

Deo

Digitized by Google

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, Alleluia.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Mulier quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis Leprosi, attulit alabastrum unguenti; et stans retrò secus pedes Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat; et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam hodiernâ die sacrosancti corporis Beatæ Mariæ Magdalenæ revelatione gloriosâ lætificas; concede propitius, ut cujus præsentiâ et miraculis illustramur, perpetua mentis et corporis beneficia consequi mereamur. Per Dominum.

Deinde pro commem. S. Monïcæ dicitur Antiph. Manum suam. ℣. Specie tuâ. *Oratio propria, ut in Breviario Romano.*

AD MATUTINUM.

INVITAT. Laudemus Deum nostrum * In Inventione beatæ Mariæ Magdalenæ, Alleluia.

Psalm. Venite, exultemus.

Digitized by Google

HYMNUS.

MAria castis osculis
Lambit Dei vestigia:
Fletu rigat, tergit comis;
Detersa nardo perlinit.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

AD NOCTURNUM.

Sub unicâ antiphonâ, primâ, scilicet, illius nocturni quòd occurrit secundùm feriam (ex rubricâ hujus Diœcesis pro tempore Paschali) dicuntur tres psalmi, et post repetitam antiphonam, versus de eodem communi nec Virg. nec Mart. = Absolutio secundùm ordinem Feriæ. Prima Benedictio erit, Ille nos Benedicat; *secunda*, Cujus Inventionem colimus; *tertia*, Ad societatem.

Prima lectio dicetur de Scripturâ occurrente, tribus in unam junctis.

℣. Maria Magdalene, et altera Maria ibant diluculo ad monumentum. * Jesus quem quæritis, non est hic. Surrexit sicut locutus est: præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis. Alleluia. ℣. Et valdè manè una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole; et introeuntes viderunt juvenem sedentem in dextris, qui dixit illis. Jesus quem quæritis.

Lectio ij.

SIngulari Dei providentiâ interdum contingit diù in latebris esse corpora sanctorum, ut

Digitized by Google

centi inventionis miraculo illorum sanctitas magis elucescat. Nempe tum inventionibus, tum translationibus, Sacrarum Reliquiarum multiplicamus festa, et Sancti in nos multiplicant beneficia. Hæc est veluti sanctorum quædam resurrectio, quæ sepultam et jacentem fidelium pietatem exsuscitat, ut sanctorum ossa, quæ semina sunt æternitatis, ac venerabile templum Spiritûs Sancti, fiant nobis mortalis vitæ subsidia, et de mediâ morte viva flumina gratiarum. Jampridem barbarorum surreptum incursibus latuerat Beatæ Magdelenæ corpus, cùm anno millesimo ducentesimo octogesimo primo congregata est ad hanc perquisitionem, apud sanctum Maximinum, Synodus, studio et curâ Illustrissimi Principis Caroli Andegavensis, in quâ præerat venerabilis Guillelmus Longus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, et Regiæ Majestatis Cancellarius, quatuor Archiepiscopis, quinque Episcopis, Abbatibus decem, multisque Sacræ Theologiæ Doctoribus, ac Religiosis viris, qui examinatis, ac ritè discussis testimoniis, scriptis et monumentis universis, rem illam spectantibus, decretum solemne condiderunt, has esse veras ac legitimas Magdalenæ Reliquias : quod à Bonifacio octavo confirmatum est, et summâ fidelium devotione susceptum. † Ita Magdalena, quæ olim Corpus Domini sui post ejus resurrectionem, tam impensè quæsierat, hâc post mortem gloriâ decorata est, ut amissum ejus corpus sollicitè quæreretur. Gavisa est Provincia universa invenisse corpus, quod pœnitentiæ victima perennis extiterat, quodque magis vixerat vitâ

Digitized by Google

Salvatoris quem amabat, quàm vitâ spiritûs qui illud animabat. Quos videtis cineres, non tàm resolvit putredo, quàm flamma amoris : aut si dicere lubet, amor et mors simul convenerunt, ut quod ille pro Christo accenderat, ista consumeret, et sic ambo gratum Deo sacrificium absolverent.

℣. Congratulamini mihi, omnes qui diligitis Dominum; quia quem quærebam apparuit mihi : * Et dùm flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, Alleluia. ℟. Recedentibus discipulis non recedebam; et amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. Et dùm flerem. Gloria Patri. Et dùm flerem.

Lectio iij.

QUia tamen vivens adhuc Magdalena, antra et speluncas quærebat, quibus se, de peccatis contrita absconderet, in eâdem post mortem perstitit humilitate, et sponso suo crucifixo consepulta, mortalium obtutus fugere voluit. Nobis illam hodie reddidit Christus, et sepulchri squalorem gloriâ cumulavit, ut ad ipsum curreremus in odorem unguentorum Magdalenæ, et corpus pœnitentis inveniendo, spiritum pœnitentiæ reciperemus. Nihil est enim celebrare Magdalenæ inventionem, nisi et imitemur ejus contritionem. Gaudeamus certè quod Magdalena inventa est, sed inveniamus nos perditos peccato, et dum celebramus solemnitatem, non amittamus solemnitatis utilitatem. ✝ Verùm si inventas Reliquiarum margaritas propiùs inspiciamus, Beatæ Magdalenæ caput, adhuc suis ossibus constans, pœnitentiam inspirat; et cum mortua corpora horrorem incutere soleant, illud

Digitized by Google

amorem et venerationem mirabiliter infundit. Maximum autem micat in hoc capite miraculum; nam quasi Magdalena dixisset morti, quod Christus olim dixerat Magdalenæ : *Noli me tangere*; non est ausa mors contingere eam partem, quam Salvator suis digitis consecraverat; et adhuc vitæ signa retinere videtur: quod vel solum Reliquiarum veritatem affatim comprobaret. Manserunt præterea inviolati, et in pixide asservantur Beatissimi Capilli quos Judicis, et Salvatoris sui pedibus, tamquàm retia et vincula, amans illa pretiosa sanctissimè audax injecerat; ita ut quas invenimus Reliquias Magdalenæ, partim ipsius Salvatoris Reliquiæ, propter reverentiam contactûs, censeri possint. Qui utinam Magdalenam verè imitanti unicuique nostrùm aliquando dicat: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis de communi. Psalmi de laudibus Dominicæ.*

CAPITULUM. *Prov.* 31.

MUlierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in eâ cor viri sui, et spoliis non indigebit.

HYMNUS.

SUmmi Parentis Unice,
Vultu pio nos respice:
Vocans ad arcem gloriæ
Cor Magdalenæ pœnitens.

Digitized by Google

Amissa drachma regio
Recondita est ærario;
Et gemma, deterso luto,
Nitore vincit sidera.
Jesu, medela vulnerum,
Spes una pœnitentium;
Per Magdalenæ lacrymas
Peccata nostra diluas.
Dei Parens piissima,
Hevæ nepotes flebiles
De mille vitæ fluctibus
Salutis in portum vehas.
Uni Deo sit gloria,
Pro multiformi gratiâ;
Peccantium qui crimina
Remittit, et dat præmia. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, Alleluia.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Maria unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui Ecclesiam tuam hodiernâ die sacrosancti corporis Beatæ Mariæ Magdalenæ revelatione gloriosâ lætificas; concede propitius, ut cujus præsentiâ et miraculis illustramur, perpetua mentis et corporis beneficia consequi mereamur. Per Dominum.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Quæ erunt de S. Joanne antè Portam Latinam, fit commem. Inventionis S. Mariæ Magdalenæ, per sequentem

Antiph. Mulier quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, et stans retrò secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat. Alleluia.

℣. Elegit eam Deus, et prælegit eam, Alleluia.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam, *ut suprà in Laudibus.*

Die XI. Máii.

Fit de S. Pio V., Papa et Confess. (hac die fix.) semid., ut in Brev. Rom. ad diem 5 *Maii.*

Digitized by Google

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO TEMPORE QUADRAGESIMÆ.

(Quod dicitur in Sabbatis antè Dominicam primam, tertiam et quartam Quadragesimæ.)

AD VESPERAS.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

Digitized by Google

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contrà hostes tuos.

Ad Magnificat.

Antiph. Beata Mater et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Sancta Maria, Dei genitrix Virgo, * Intercede pro nobis.
Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant;
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia,
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
Cujus, supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausus est.

Digitized by Google

Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu;
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Antiphonæ, psalmi et versus nocturnorum, ut in officio parvo.

IN I. NOCTURNO.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. Cap. 8 *et* 9.

EGo sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum; arrogantiam et superbiam et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium et æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, et qui manè vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio ij.

MEcum sunt divitiæ, et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo,

Digitized by Google

in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis antequàm terra fieret. Nondum erant abyssi; et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cùm essem parvula, placui altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio iij.

BEatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino: qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificavit sibi domum, excîdit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.

℟. Extollens vocem mulier de turbâ dixit ad Jesum: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quin imò, * Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. ℣. Immortalitas est in cognatione sapien-

Digitized by Google

tiæ; et præclaritas in communicatione sermonum ipsius. Beati. Gloria Patri. Beati.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Athanasii Episcopi Alexandrini.
Ex Oratione in Domini occursum.
Lectio iv.

Benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Contradicet enim, ac de illo disceptabit Simon adversùs Marcionem; atque Arius adversùs Sabellium; nec non Eutyches adversùs Nestorium; ac utrique adversùs Ecclesiam : ut alii quidem, solam ei Deitatem; carnem alii solam tribuant : alii quidem doceant creatum, ac alienum à Patris substantiâ; alii verbum quoddam inane, ac carens substantiâ; quodque nihil à verbo quod oris prolatione funditur, differat..... Atque ut verbo dicam, quique aliâ, aliâque ratione disceptabunt, ac contradicent, concludentes singuli, ut cuique videbitur, quæ ad eum spectant.

℟. Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam * Ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. ℣. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ipse est.

Lectio v.

Sanè quidem ejusmodi est, ô Beata Virgo, quem ex utero protulisti, qui facilè quidem conterat ac disturbet eos qui à veritate sese avulserunt; erigat verò et offerat Patri eos omnes qui se illi adjungent, ejusque jura custodient. Nequaquàm tamen, propterea quia talem

Digitized by Google

talem meruisti habere filium, esque consecuta eum claritatis ac gloriæ cumulum, ut omnem prorsùs terrigenarum naturam liquidò superares, sine tentatione eris, immunisque ab affectionibus, ac quam nihil afflictiones tangant. Quin, *et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

℟. Deus noster in me ancillâ suâ adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel : * Et interfecit in manu meâ hostem populi sui. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Et interfecit.

Lectio vj.

EUm quem genueras videbis tradi, ligari, conspui, atque percuti; flagellari ac alapis cædi; arundine percuti; spinis coronari; chlamyde indui; à Pharisæis calumniis appeti; à Sadducæis probro affici; judicari à Pilato; risum ac fabulam militibus fieri; flexo genu à cohorte adorari. Barabbam videbis pluris eo fieri, ac illi anteponi. Videbis affigi cruci; felle et aceto potari; sepulchro includi; seductorem appellari; signaculis adstringi; à militibus custodiri. Atque ut verbo dicam, quidquid molestiæ ac infamiæ expressionem habet, tuis ipsa oculis videbis in eo exerceri. Propterea *animam tuam pertransibit gladius.*

℟. Simeon justus et timoratus dixit ad Mariam : * Tuam ipsius animam pertransibit gladius. ℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine replevit me omnipotens. Tuam ipsius. Gloria Patri. Tuam ipsius.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Stabant juxtà crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalenæ. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex tract. 119 *in Joann.*

SAluberrimi præcepti ipse magister sanctorum de se ipso constituebat exemplum; quando, non ut famulæ Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de quâ creatus fuerat et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat. Ait enim Evangelista : *Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua.* De se ipso dicens : Sic enim commendare se solet quòd eum diligebat Jesus; qui utique omnes, sed ipsum præ cæteris et familiarius diligebat, ità ut in convivio super pectus suum discumbere faceret : credo ut istius Evangelii quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret. Sed in quæ *sua* Joannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat qui dixerunt ei : *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* Sed ibi quoque audierat; *Quicumque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc sæculo centies tantùm.* Habebat ergo ille Discipulus centupliciter plura quàm dimiserat, in quæ susciperet ejus Matrem qui hæc illi donaverat.

℟. Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant; * Quoniam con-

Digitized by Google

tritione magnâ contrita est Virgo filia populi mei, plagâ pessimâ vehementer. ℣. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quoniam.

Lectio viij.

SEd in eâ societate Beatus Joannes receperat centuplum, *ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia :* Sicut in actibus Apostolorum scriptum est. Sic enim Apostoli erant *quasi nihil habentes et omnia possidentes.* Quomodo ergo Matrem magistri et Domini sui Discipulus et famulus accepit *in sua*, ubi aliquid suum nemo dicebat? an quia paulò post in eodem libro legitur : *Quotquot enim possessores prædiorum, vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes Apostolorum. Distribuebatur autem unicuique prout opus erat?* Intelligendum est sic distributum fuisse Discipulo quod opus erat, ut illic etiam Beatæ Mariæ tanquam matris ejus portio poneretur. Magisque sic debemus accipere quod dictum est : *Ex illâ horâ accepit eam Discipulus in sua :* ut ad ejus curam quidquid ei esset necessarium pertineret. Suscepit ergo eam in sua, non prædia quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propriâ dispensatione exequenda curabat.

℟. In toto corde tuo genitus matris tuæ ne obliviscaris ; et pauperi porrige manum tuam ; * Ut perficiatur propitiatio et benedictio. ℣. Ave Princeps generosa, Martyrumque prima Rosa, Virginumque Lilium : nobis fer auxilium. Ut perficiatur. Gloria Patri. Ut perficiatur.

Nona Lectio de homiliâ Feriæ ; et post lectionem, Te Deum laudamus.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

DUm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed fórmosa, filiæ Jerusalem : ideò dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit : imber abiit et recessit. Surge amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus:
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. Læva ejus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

℟. *br.* Specie tuâ. * Et pulchritudine tuâ. Specie tuâ. ℣. Intende, prosperè procede, et regna. Et pulchritudine tuâ. Gloria Patri. Specie tuâ.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.
℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

Ant. Nigra sum.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam. * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus; non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Speciosa.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus. * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis:

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Digitized by Google

Officium B. Mariæ Virginis in Sabbato,

PRO TEMPORE PASSIONIS.

(Quod dicitur in Sabbatis antè Dominicam Passionis, et Dominicam Palmarum.)

AD VESPERAS.

Antiph. Quò abiit Dilectus tuus, *cum reliquis de laudibus; Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua.

HYMNUS.

O Quot undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!
Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum;
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Ægra tingit lacrymis.

Digitized by Google

Centiesque milliesque
Stringit arctis nexibus;
Pectus illud et lacertos,
Illa figit vulnera:
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eia, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram;
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coævo Flamini;
Esto summæ Trinitati
Sempiterna gloria;
Et perennis laus, honorque,
Hoc et omni sæculo. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosissima;
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. Nolite me considerare quòd fuscasim, quia decoloravit me sol. Filii matris meæ pugnaverunt contrà me.

ORATIO.

ADjuvet nos, quæsumus, Domine, dolorosissimæ Virginis Mariæ, juxtà crucem Filii sui stantis, intercessio veneranda; ut quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos, tuâ faciat pietate concordes. Per eundem.

Et fit commemoratio Feriæ: Cui in priori

Digitized by Google

sabbato adduntur suffragia Sanctorum; secùs in altero.

Doxologia Completorii et horarum in utroque Sabbato erit : Jesu, tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis, Cum Patre et almo Spiritu, In sempiterna sæcula. Amen.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Jesum crucifixum, super quem planxit Mater quasi super Unigenitum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

O quot undis lacrymarum, *ut suprà in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Psalmi nocturnorum, cum suis antiphonis et versibus, dicuntur ut in officio parvo.

De Jeremia Propheta.

Lectio j. Thren. 1.

PLorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Vide, Domine, quoniam tribulor. Conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsâ, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.

℟. Simeon justus et timoratus dixit ad Mariam : * Tuam ipsius animam pertransibit gla-

Digitized by Google

dius. ℣. Ne vocetis me pulchram sed amaram, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. Tuam ipsius.

Lectio ij. Thren. 2.

CUi comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tuî? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam. Sibilaverunt et moverunt caput suum super Filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et frenduerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus.

℟. Joseph ab Arimathæa * Petiit corpus Jesu; quod de cruce depositum suo complexu mater excepit: ℣. Dolens Sunamitis sinu et genibus suis sustinuit mortuum filium. Petiit.

Lectio iij.

FEcit Dominus quæ cogitavit: complevit sermonem suum, quem præceperat à diebus antiquis. Destruxit et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum, super muros Filiæ Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. In toto corde tuo gemitus matris tuæ ne obliviscaris; et pauperi porrige manum tuam; * Ut perficiatur propitiatio et benedictio. ℣. Ave Princeps generosa, Martyrumque prima Rosa,

Digitized by Google

Virginumque Lilium : nobis fer auxilium. Ut perficiatur. Gloria Patri. Ut perficiatur.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Ephrem Diaconi Ecclesiæ Edessenæ.

Ex Threnis, seu Lamentat. gloriosiss. Virginis Mariæ.

Lectio iv.

STans apud crucem purissima Virgo, Salvatoremque in ligno suspensum suspiciens, plagas reputans, intuens et clavos, querelas, colaphos, ac flagellationem, cum gravibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamavit, dicens : ..... Ubi nunc pulchritudo tua, Fili ? Ubi tuus modò decor ? Quomodò in cruce extinctus es, mi fili, et Deus meus ? Sol lumen suum obscuravit, et alius factus est. Splendida luna in tenebras evanuit. Petræ sunt perfractæ, et monumenta aperta, templique velum in duo est discissum. Creaturæ conditorem suum et opificem cognoverunt ; et hi perversi et miseri Hebræi aures obstruxerunt, oculos clauserunt ne solem numquàm occidentem suspectarent.

℟. Vidit Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat : * Et dicit Jesus matri suæ ; Mulier, ecce filius tuus. ℣. Suprà modum mater mirabilis bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat ; fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens. Et dicit.

Digitized by Google

Lectio v.

O Gabriel Archangele et minister Domini, ubi nunc illud Ave? Ubi nunc lætitia, ac benedictio quâ dixisti ad me : *Benedicta tu in mulieribus?* Ad quid vero mœrorem, et victimam filii mei, quam eram acceptura non denuntiasti? Semper tribulationes, gemitus, Judæorum immensam invidiam, ingratitudinem perversorum et transgressorum..... Lugete mecum omnes discipulæ Domini, dolorem meum, et vulnus profundum cordis mei contuentes. Decumbe, Crux sanctissima, lignum benedictum, ut plagas Filii mei, et Dei mei exosculer..... Magna, ô Crux, gloria tua. Magna tua gratia : magna potestas tua, ô lignum benedictum. Quoniam innocens, Deus et creator tuus, tanquam latro et nocens, super te expansus est.

℣. Deducant oculi mei lacrymam per noctem et diem, et non taceant; * Quoniam contritione magnâ contrita est Virgo filia populi mei, plagâ pessimâ vehementer. ℣. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Quoniam.

Lectio vj.

AT verò nos te, ô immaculata et benedicta, Filii tui, Deique omnium, mater inculpata, pura, integra, sacrosanctissima, desperatorum spes et damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi, ut gratiâ plenæ, quæ Christum genuisti. Omnes tibi advolvimur : omnes te imploramus. Erue nos, ô intemerata, ab omni necessitate; à cunctis diaboli tentationibus. Esto nostra conciliatrix et advocata, in horâ judicii. Libera nos à futuro igne et tenebris; et tui filii gloriâ, Virgo, nos dig-

Digitized by Google

nare. Tu namque es spes apud Deum Christianorum sanctissima, cui honor in sæcula sæculorum. Amen.

℟. Sequebatur Jesum turba mulierum quæ plangebant, et lamentabantur eum. Et postquàm venerunt in locum Calvariæ, crucifixerunt eum. * Stabat autem juxtà crucem Jesu mater ejus. ℣. Sederunt in terrâ; consperserunt cinere capita sua : abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. Stabat. Gloria Patri. Stabat.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Stabant juxtà crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex homil. 84 *in Joann.*

IPse crucifixus matrem suam discipulo commendat, erudiens nos ad ultimum usque spiritum parentum curam habendam. Cùm intempestivè ab eâ appellatus est, inquit, *Quid mihi et tibi mulier?* Et alibi : *Quæ est mater mea?* Hîc immensam charitatem ostendit, et commendat eam discipulo quem diligebat. Quâ autem gratiâ nihil aliud dicit Joanni, neque eum consolatur? Quòd intempestivum erat. Prætereà non parvo eum honore his verbis afficiebat, neque parvum præsentiæ suæ præmium capiebat. Tu autem considera quomodò crucifixus omnia sine aliquâ perturbatione transegit. Discipulo matrem commendavit : prophetias implevit : latroni spem bonam dedit.

Digitized by Google

℟. Tenebræ factæ sunt, cùm crucifixissent Jesum Judæi, et circà horam nonam exclamavit Jesus voce magna : Deus meus, ut quid dereliquisti me? * Et inclinato capite emisit spiritum. ℣. Quis tibi nunc sensus dum cernis talia, Virgo? Et inclinato.

Lectio viij.

STabant autem mulieres juxtà crucem. Et imbecillior sexus tunc fortior apparuit : ita omnia reformavit. Ipse matrem commendans, inquit : *Ecce filius tuus.* O honorem quem discipulo tribuit ! Cùm enim jam abiret, matris curam discipulo reliquit. Nam cùm par esset, ut potè matrem dolere et protectionem quærere, meritò dilecto commendat; cui etiam inquit : *Ecce mater tua.* Hoc dixit ut dilectione devincirentur. Quo cognito discipulus eam secum abduxit. Sed cur non alîus cujuspiam mulieris meminit, cùm adessent? Admonens quiddam amplius matribus tribuendum. Ut enim, cùm spiritualia impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt; ita cùm nihil impediunt, meritò omnia his sunt tribuenda, et omnibus præferendi, quia genuerunt, quòd educârunt, quòd innumeras pro ipsis molestias subierunt. Ita Marcionis reprimitur impudentia. Nam si non esset secundùm carnem natus, neque matrem habuisset, quamobrem eam solam, tantopere curaret?

℟. Dixit Jesus discipulo quem diligebat: Ecce mater tua, et * Ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua. ℣. Cum acceperit Deus animam meam, honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Ex illâ. Gloria Patri. Ex illâ.

Digitized by Google

Nona lectio legitur de homiliâ Feriæ; et post lectionem. Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

QUò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò dilectus tuus declinavit? et quærenus eum tecum.

Psalmi de laudibus Dominicæ.

Ant. Recedite à me: amarè flebo. Nolite incumbere, ut consolemini me.

Ant. Non est ei species, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

Ant. A plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Ant. Fulcite me floribus; stipate me malis, quia amore langueo.

CAPITULUM. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exæquabo te? et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua.

HYMNUS.

JAm toto subitus vesper eat polo,
Et sol attonitum præcipitet diem,
Dum sævæ recolo ludibrium necis,
Divinamque catastrophem.
Spectatrix aderas supplicio Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum,
Natus funereâ pendulus in cruce
Altos cum gemitus dabat.

Digitized by Google

Pendens antè oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus; Natus hiantibus
Fossus vulneribus; quot penetrantibus
Te confecit aculeis!

Eheu! sputa, alapæ, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quàm variâ pium
Cor pressêre tyrannide!

Cunctis intereà stat generosior
Virgo Martyribus: prodigio novo
In tantis moriens non moreris, Parens,
Diris fixa doloribus.

Sit summæ Triadi gloria, laus, honor;
A qua suppliciter sollicitâ prece
Posco Virginei roboris æmulas
Vires rebus in asperis. Amen.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo:
℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

Ad Benedictus.

Antiph. Fortis est ut mors dilectio. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina obruent illam.

ORATIO.

ADjuvet nos, quæsumus, Domine, dolorosissimæ Virginis Mariæ, juxtà crucem Filii sui stantis, intercessio veneranda; ut quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos, tuâ faciat pietate concordes. Per eundem.

Et fit commemoratio Feriæ.

AD PRIMAM.

Ant. Quò abiit dilectus.

In ℟. *br.* ℣. Qui passus es pro nobis,

Digitized by Google

AD TERTIAM.

Ant. Recedite à me.

CAPITULUM. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua.

℟. *br.* Tribulationem * Et dolorem inveni. Tribulationem. ℣. Circumdederunt me dolores mortis. Et dolorem. Gloria Patri. Tribulationem.

℣. Cor meum conturbatum est : dereliquit me virtus mea.

℟. Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

AD SEXTAM.

Ant. Non est ei.

CAPITULUM. *Thren.* 3.

INundaverunt aquæ super caput meum; dixi : Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.

℟. *br.* Cor meum conturbatum est; * Dereliquit me virtus mea. Cor meum. ℣. Lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Dereliquit me. Gloria Patri. Cor meum.

℣. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : Quando consolaberis me.

℟. Paulò minùs consummaverunt me in terrâ.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Fulcite me.

CAPITULUM. *Jerem. 4.*

VOcem quasi parturientis audivi; angustias puerperæ. Vox Filiæ Sion intermorientis, expandentisque manus suas : Væ mihi, quia defecit anima mea.

℟. *br.* Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes : * Quando consolaberis me? Defecerunt. ℣. Paulò minùs consummaverunt me in terrâ. Quando. Gloria Patri. Defecerunt.

℣. Tribulationem meam antè Dominum pronuntio :

℟. In deficiendo ex me spiritum meum.

Officium B. Mariæ Virginis in Sabbato,

PRO TEMPORE PASCHALI.

AD VESPERAS.

Antiph. Exulta, *cum reliquis de laudibus : Psalmi consueti de B. M. V. Capitulum* Ab initio. *Hymnus* Ave maris stella, p. 176.

℣. Ego autem in Domino gaudebo, Alleluia.

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi : conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiâ. Alleluia, alleluia.

Digitized by Google

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

Doxologia Hymnorum et vers. ℟. *br. ad primam :* Qui natus es, etc.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Surrexit Dominus verè; * Gaude et lætare, Virgo Maria. Alleluia.

HYMNUS.

PRoprios, Virgo, tibi, magna plausus
Splendido nati damus in triumpho.
Ille dum vincit, tua, Mater, est pars
Maxima palmæ.

Rupe dum clausus jacuit sepulchri,
Orba tunc lucis pariter jacebas:
At novam Christo reparante vitam,
Ipsa resurgis.

Filio gaude, genitrix, recepto;
Nulla regnantem tibi fata tollent,
Quem Patri consors amor et perennis
Gloria jungit. Amen.

AD NOCTURNUM.

Antiphona. Gaude Maria Virgo. *Sub qua dicuntur tres Psalmi ex III. Nocturno officii parvi*, Cantate Domino, etc. *et repetitur Antiphona.* Gaude, Maria Virgo, quia Filius

Digitized by Google

tuus vivit; et ipse dominatur in omni terrâ. Alleluia.

℣. Jesum suscitavit Deus; Alleluia.

℟. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea. Alleluia.

Absolutio. A vinculis.

Benedictio. Ille nos benedicat.

Prima lectio ex tribus scripturæ occurrentis, in unam junctis.

℟. Gaudete cum eâ gaudio universi qui lugetis super eam, * Ut repleamini ab ubere consolationis ejus; Alleluia, alleluia. ℣. Deliciis affluetis ab omnimodâ gloriâ ejus; videbitis, et gaudebit cor vestrum. Ut repleamini.

Benedictio. Cujus commemorationem colimus, ipsa Virgo virginum.

Ex libro de Excellentiâ B. Mariæ Virginis.

Inter opera S. Anselmi.

Lectio ij.

SI tam magna fuit (exultatio Beatæ Matris Dei, in conversatione Filii sui,) cùm ipsum benè sciret paulò post moriturum; quæ, vel quanta putatis fuit nunc, cùm ipsum videret jam calcatis mortis legibus resurrexisse, non solùm in æternum victurum, sed et cœlo et terræ omnique creaturæ perenniter dominaturum? Nolo hanc immensitatem gaudii ejus explicare quis laboret: quoniam quæ ipsis Angelis est admiranda et impenetrabilis, non facilè crediderim quòd cuivis homini mortali possit esse penetrabilis.

℟. Sicut abundant passiones Christi in nobis; ita et per Christum abundat consolatio nostra. * Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Di-

Digitized by Google

lectus meus mihi, et ego illi. Inveni quem diligit anima mea : tenui eum nec dimittam. Alleluia. Gloria Patri. Alleluia.

Benedictio. Ad societatem.

Lectio iij.

SI gaudium habuit eodem filio suo calcatâ morte ab inferis resurgente; nùm minori gaudio exultavit ipso suo filio, in eâ carne quam de se assumptam noverat, coram oculis suis cœlos penetrante? Quis hoc dixerit? Imò quis gaudium ejus omnibus quæ illud præcesserunt gaudiis non crediderit eminere? Bonæ matres solent magnificè in hoc mundo exhilarari cùm vident filios suos terrenis honoribus sublimari : et ista mater, procul dubio bona, nòn ineffabili gaudio lætaretur, quando Filium suum unigenitum omnes cœlos dominandi jure penetrare, ac in Dei Patris omnipotentis vidit consessum ascendendo pertingere? Imò, quid huic gaudio unquam fuit auditum simile?

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

EXulta in omni corde, Filia Jerusalem : non timebis malum ultrà : Dominus Deus tuus gaudebit super te in lætitiâ. Alleluia.

Ant. En dilectus meus loquitur mihi : jam hyems transiit : imber abiit, et recessit. Alleluia.

Ant. Inveni quem diligit anima mea : tenui eum, nec dimittam. Alleluia, alleluia.

Digitized by Google

Ant. Replebis me jucunditate; quia Christus neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Alleluia.

Ant. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus; et ipse est amicus meus. Alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

VIctor triumphat Filius;
Lætare, Mater, et tuo
Qui corde fixit vulnera,
Nunc pulsus absistat dolor.
Fixum cruci quem videras,
Natum resurgentem vides;
Magnos amor luctus dedit;
Majora nunc dat gaudia.
Nec jam rapaci gutture
Christum resumet inferus.
Mortem volens semel tulit;
Nunc vivus æternùm manet.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine;
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Ego autem in Domino Gaudebo; Alleluia.
℟. Et exultabo in Deo Jesu meo. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Exue te stolâ luctûs, et indue te

Digitized by Google

decore. Deus enim ostendet splendorem suum in te. Alleluia, alleluia.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere : et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. En dilectus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

℟. *br.* Anima mea exultabit in Domino; * Alleluia, alleluia. Anima. ℣. Et delectabitur super salutari suo. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Quid mihi est in cœlo? Et à te quid volui super terram? Alleluia.

℟. Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei. Alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Inveni.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo ho-

Digitized by Google

norificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? Et à te quid volui super terram? * Alleluia, alleluia. Quid mihi. ℣. Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Quid mihi.

℣. Multiplicasti magnificentiam tuam; Alleluia.

℟. Et conversus consolatus es me. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Dilectus meus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Multiplicasti magnificentiam tuam, * Alleluia, alleluia. Multiplicasti. ℣. Et conversus consolatus es me. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Multiplicasti.

℣. Benedic anima mea Domino; Alleluia.

℟. Qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluia.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
S. MASSILIENSIS ECCLESIÆ.

PARS ÆSTIVA.

Feria III. infrà octavam Corporis Christi.

In festo SACERDOTII *Domini Nostri Jesu-Christi.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

TAlis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, impollutus, et excelsior cœlis factus.

Psalmi ad utrasque vesperas, matutinum et laudes dicuntur ut in festo Corporis Christi.

Digitized by Google

Ant. Jesus Pontifex factus in æternùm, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

Ant. Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Ant. Homines magni virtute, nunciantes populis sanctissima verba : multam gloriam fecit eis Dominus.

Ant. Jesu Christo, qui fecit nos regnum et Sacerdotes, gloria et imperium in sæcula sæculorum. Alleluia.

CAPITULUM. *Hebr.* 5.

FRatres : Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

HYMNUS.

CEssant figuræ : non litat impares
Impar sacerdos ampliùs hostias.
Jam Pontifex fit Numen ipsum;
Seque sibi Deus Agnus offert.
Vitam cruentus qui semel obtulit,
Se non cruentum jugiter immolat :
Mactatus aris, et renascens,
Perpetuò moriendo vivit.
Ad grande munus nos Deus erigit,
Quòs intùs ungit sacrificos sibi.
Pondus caduci sustinemus
Angelicis humeris tremendum.
O quàm stupendæ quas agimus vices !
Quem prona cœli curia suspicit,
Sacras ad aras imperantes
Nos docilis Deus ipse sentit.

Digitized by Google

Christum, Sacerdos, cœlitùs evocas;
Per te creatur qui creat omnia:
Immotus orbem qui gubernat,
Se tibi dat facilem moveri.
Non impotenti, criminis arbiter,
Verbo resolvis ferrea vincula.
Quas fers magistrâ voce, Numen
Ecce sibi putat esse leges.
Laus summa Patri, summaque Filio,
Qui se Parenti consecrat hostiam:
Sacro ministri quo dicantur
Chrismate, laus tibi Flamen almum. Amen.

℣. Nimis honorati sunt amici tui, Deus: Alleluia.

℟. Nimis confortatus est Principatus eorum. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam in Regno meo. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui Unigenitum tuum nobis dedisti Summum Sacerdotem, eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam, et ad promovendam humani generis salutem sanctos Sacerdotes et Levitas consortes tribuisti: quæsumus ut iisdem sanctis Sacerdotibus et Levitis intercedentibus, spiritum gratiæ cui servierunt in Ecclesiâ tuâ excitare digneris. Per eundem Dominum..... in unitate ejusdem Spiritûs.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum, * Venite, adoremus.
Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

TAlis decebat Pontifex
Ut nobis esset innocens,
Qui, nostra factus victima,
Delicta gentis expiet.
Tentatus est per omnia;
Promptusque nobis compati,
Nos præliantes adjuvat,
Et cum jacemus erigit.
Deo per ipsum nos decet
Offerre laudis hostiam.
Hæc grata laus quam paturit
Qua Christus ardet charitas.
Novi Sacerdos fœderis,
Tuos ministros respice;
Ut consecrati spiritu,
In spiritu deserviant.
Altare fac per amplius,
In quo te litas Pontifex,
Nos sancta tecum tangere
Et intueri limina.
Placare quam non desinit
Christus suam per hostiam,
Sit Trinitati gloria,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dabo vobis Pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.

Ant. Populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, inter mundum et immundum.

Ant. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes. Totâ die, et totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

℣. Sancti erunt Deo suo; Alleluia.

℟. Et non polluent nomen ejus. Alleluia.

De Epistolâ B. Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 4. *et* 5.

HAbentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis : qui condolere possit iis qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.

℟. Excelsum fecit Dominus Aaron, et dedit illi sacerdotium gentis. * Melioris Testamenti sponsor factus est Jesus. ℣. Dixit Dominus Domino meo : sede à dextris meis :

Digitized by Google

Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Melioris.

Lectio ij.

NEc quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro suâ reverentiâ. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam: et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex juxtà ordinem Melchisedech.

℣. Necessarium fuit secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici. * Nihil enim ad perfectum adduxit lex. ℣. Angelus testamenti ecce venit, dicit Dominus; et purgabit filios Levi, et erunt Domino offerentes sacrificia in justitiâ. Nihil enim.

Lectio iij. Cap. 7.

HIc enim Melchisedech, Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde regum, et benedixit ei: cui et decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deinde autem et Rex Salem, quod est, Rex pacis; sine patre, sine matre, sine genealogiâ, ne-

Digitized by Google

que initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha. Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo, secundùm legem, id est, à fratribus suis : quamquàm et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham; et hunc, qui habebat repromissiones, benedixit.

℟. Vos estis lux mundi : * Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. ℣. Stellæ dederunt lumen in custodiis suis; vocatæ, dixerunt : Adsumus; et luxerunt Deo cum jucunditate. Sic luceat. Gloria Patri. Sic luceat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Umbram habens lex futurorum bonorum, hostiis quas offerunt numquàm potest accedentes salvos facere.

Ant. Ideò Christus ingrediens mundum, dicit : Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.

Ant. Hic unam prò peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei. Unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.

℣. Sacrificent sacrificium laudis; Alleluia.

℟. Et annuntient opera ejus in exultatione. Alleluia.

Digitized by Google

Sermo S. Augustini Episcopi.

Ex Tract. in Psalm. CIX. num. 17.

Lectio iv.

CHristus secundùm id quod natus est de Patre Deus apud Deum, coæternus gignenti, non Sacerdos; sed Sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam quam pro nobis offerret à nobis acceptam. *Juravit*, ergo *Dominus*. Quid est, *juravit Dominus ?*..... Juravit, firmavit; *non eum pœnitebit*, non mutabit. Quid? *Tu es Sacerdos in æternum.* Ideò in æternùm, quia non pœnitebit eum. Sed Sacerdos secundùm quid? Numquid erunt illæ hostiæ, victimæ oblatæ à Patriarchis, aræ sanguinis et tabernaculum, et illa testamenti veteris Sacramenta? Absit. Jam illa sublata sunt, everso jam templo, remoto illo Sacerdotio, pereunte victimâ eorum et sacrificio.

℟. Amen dico vobis : * Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. ℣. Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis judicium, sed Domini. Quæcumque.

Lectio v.

Ex Tract. in Psalm. XXXIII. Conc. I. antè medium.

ERat autem, ut nostis, sacrificium Judæorum anteà secundùm ordinem Aaron in victimis pecorum : et hoc in mysterio. Nondum enim erat sacrificium Corporis et Sanguinis Domini, quod fideles norunt, et qui Evangelium legerunt : Quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite

Digitized by Google

ergo vobis ante oculos duo sacrificia; et illud secundùm ordinem Aaron, et hoc secundùm ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.*

℣. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas, ut serviant in ministeriis tabernaculi. Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini; * Et Ministri Dei nostri dicetur vobis. ℣. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Et Ministri.

Lectio vi.

DE quo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech?* De Domino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchisedech? Rex Salem..... Et tantus erat Melchisedech à quo benediceretur Abraham. *Protulit panem et vinum, et benedixit Abraham: et dedit ei decimas Abraham.* Videte quid protulit, et quem benedixit: Et dictum est posteà: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.* David in spiritu hoc dicit longè post Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchisedech. De quo alio dicit: *Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech*, nisi de illo cujus nostis sacrificium? Sublatum est enim sacrificium secundùm ordinem Aaron, et cœpit esse sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

℣. Unicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi: * In opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. ℣. Domini est assumptio nostra, et sancti Israel Regis nostri. In opus. Gloria Patri. In opus.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Ant. Plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere : Jesus autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.

Ant. Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis.

Ant. Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ; appellatus à Deo Pontifex juxtà ordinem Melchisedech.

℣. Beati servi tui, Domine, Alleluia.

℟. Qui stant coram te semper. Alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 22.

IN illo tempore : Cùm facta esset hora, discubuit Jesus, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequàm patiar. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbiteri.

Ex commentariis in Evangelium Lucæ. Lib. VI. Cap. 91.

HOram manducandi Paschæ (Evangelista) designat, quæ, ut sæpiùs inculcatum est, quartadecimâ die mensis primi perductâ ad vesperam, et quintadecimâ lunâ jam terris apparente, juxtà edicta legis instabat. *Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar.* Desiderat primò typicum Pascha cum Discipulis manducare, et sic passionis suæ mundo mysteria declarare, quatenùs et antiqui legalisque paschæ probator

Digitized by Google

existat, et hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse docendo, carnaliter ultrà vetet exhiberi; immò, umbrâ transeunte, veri jam paschæ lumen advenisse demonstret.

℟. Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, * Qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen suum. ℣. Separavit vos Deus ab omni populo, et junxit sibi, ut serviatis ei. Qui de tenebris.

Lectio viij.

HOc facite in meam commemorationem. Finitis paschæ veteris solemniis, quæ in commemorationem antiquæ de Ægypto liberationis agebantur, transiit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesia frequentare desiderat. Ut videlicet pro carne agni, vel sanguine, suæ carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figurâ substituens, ipsum se esse monstraret cui *juravit Dominus et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternùm secundùm ordinem Melchisedech.* Frangit autem ipse panem quem porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non sine suâ sponte futuram; sed, sicut alibi dicit, *potestatem se habere ponendi animam suam, et iterùm sumendi eam.* Et sicut de veteribus terminandis egerat, sic et de novis incipiendis Patri gratias agit; nobis pariter exemplum tribuens, in omni boni operis inchoatione, vel perfectione Patrem qui est in cœlis esse glorificandum.

℟. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; * Et cùm apparuerit Princeps pastorum, * Percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. ℣. Providentes secundùm Deum, non turpis

Digitized by Google

lucri gratiâ, sed voluntariè. Et cùm. Gloria Patri. Percipietis.

Lectio ix.

QUòd si quem movet, cùm cœnatis Salvator Apostolis suum corpus ac sanguinem tradiderit, quare nos universalis Ecclesiæ consuetudine jejuni doceamur eadem sacramenta percipere, breviter audiat : ideò tunc cœnatos communicasse Apostolos, quia necesse erat pascha illud typicum anteà consummari, et sic ad veri paschæ sacramenta transiri. Nunc in honorem tanti, tàmque terribilis sacramenti, placuisse magistris Ecclesiæ, primò nos Dominicæ passionis participatione muniri, primò spiritalibus epulis interiùs exteriùsque sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus et vilibus escis refici. Quòd autem dicit : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*, ad distinctionem veteris testamenti respicit, quod hircorum et vitulorum est sanguine dedicatum : dicente inter aspergendum legislatore : *Hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.* Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

ECce vir, Oriens nomen ejus ; ædificabit Templum Domino, et erit Sacerdos super solio suo. Alleluia, alleluia.

Ant. Hos elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, et in lege suâ lucem dare Israel. Alleluia.

Ant. Boni dispensatores gratiæ Dei, providentes

Digitized by Google

dentes secundùm Deum, et forma facti gregis ex animo. Alleluia.

Ant. Dederunt in celebrationibus decus, et ornaverunt tempora usque ad consummationem vitæ. Alleluia, alleluia.

Ant. Exultabunt lætitiâ inenarrabili et glorificatâ, reportantes finem fidei, salutem animarum. Alleluia.

CAPITULUM. *Hebr.* 3.

COnsiderate, Fratres sancti, vocationis cœlestis participes, Apostolum et Pontificem confessionis nostræ Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum.

HYMNUS.

JAm non bella furunt: post data prælia,
In longâ placidi pace quiescitis:
Pastor, pro grege pasto,
Pleno numine pascitur.
Gens per vos superûm cœtibus addita,
Cœlo vos geminis plausibus excipit:
Certat prompta coronas
Vestris nectere frontibus.
Densis quæ fuerat nubibus obsita,
Puro nuda patet lumine veritas:
Aris quæ latitabat
Se nunc hostia detegit.
Os quondam madidum sanguine Numinis,
De torrente bibit gaudia pleniùs:
Quem sprevêre, superbo
Mundum nunc pede comprimunt.
Qui stellata poli tangitis atria
Proles vestra sumus, Pontifices sacri,

Digitized by Google

Quæ suprema tenetis
Nati possideant bona.
Per vos assiduis culta laboribus
Tellus nos segetes pinguior attulit :
Vestram ferte superni
Messem Patris in horrea.
Jugis, summa Trias, sit tibi gloria,
Quæ solemne tui præpositis gregis,
Pro mercede laboris,
Te das prodiga præmium. Amen.

℣. Erunt Sacerdotes Dei et Christi; Alleluia.
℟. Et regnabunt cum illo. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Jam non dicam vos servos; vos autem dixi amicos, quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Alleluia, alleluia.

ORATIO.

DEus, qui Unigenitum tuum nobis dedisti Summum Sacerdotem, eique ad sacrificandum tibi hostiam mundam, et ad promovendam humani generis salutem sanctos Sacerdotes et Levitas consortes tribuisti : quæsumus ut iisdem sanctis Sacerdotibus et Levitis intercedentibus, spiritum gratiæ cui servierunt in Ecclesiâ tuâ excitare digneris. Per eumdem Dominum..... in unitate ejusdem Spiritûs.

Et fit commemoratio Octavæ.

AD PRIMAM.

Ant. Ecce vir.

In ℟. br. ℣. Qui es Sacerdos in æternùm.

AD TERTIAM.

Ant. Hos elegit.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Hebr.* 7.

CHristus Jesus, eò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.

℟. *br.* Galicem salutaris accipiam; * Alleluia, alleluia. Calicem. ℣. Et nomen Domini invocabo. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Calicem.

℣. Memor sit Dominus sacrificii tui; Alleluia.

℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. Alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Boni dispensatores.

CAPITULUM. *Hebr.* 6.

AD interiora velaminis præcursor pro nobis introïvit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternùm.

℟. *br.* Memor sit Dominus sacrificii tui; Alleluia, alleluia. Memor sit. ℣. Et holocaustum tuum pingue fiat. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Memor sit.

℣. Benedicite Domino omnes Ministri ejus, Alleluia.

℟. Qui facitis voluntatem ejus. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Exultabunt.

CAPITULUM. *Hebr.* 4.

HAbentes Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem.

Digitized by Google

℟. *br.* Benedicite Domino omnes Ministri ejus, * Alleluia, alleluia. Benedicite. ℣. Qui facitis voluntatem ejus. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Benedicite.

℣. Custodiebant testimonia ejus; Alleluia.

℟. Et præceptum quod dedit illis. Alleluia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ℣. *et Antiphonam sequentem.*

℣. Ego dixi : Dii estis, Alleluia.

℟. Et filii Excelsi omnes. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam eruditi sunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

ORATIO.

Deus, qui Unigenitum, *ut suprà in laudibus. Et fit commemoratio Octavæ.*

* *Si occurat hac die festum S. Joannis Baptistæ, officium Sacerdotii (propter analogiam hujus officii cum solemnitate Corporis Christi) transferetur in sequentem diem. Tunc in secundis vesperis S. Joannis Baptistæ fiet commemoratio sequentis, et octavæ Corporis Christi. Feriâ quartâ in officio Sacerdotii ad laudes fiet commem. octavæ Corporis Christi et S. Joannis Baptistæ. Ad vesperas autem, quæ erunt de die octavâ Corporis Christi, fiet commem. Sacerdotii, et octavæ S. Joannis.*

Digitized by Google

Feriâ VI. post Octavam Corporis Christi.

In festo SACRATISSIMI CORDIS *Domini nostri Jesu-Christi.* Duplex primæ classis cum octavâ.

* *Sacratissimi Cordis Jesu votiva solemnitas ab Ill. ac Rev. DD. Henrico de Belzunce, die* 22 *Octobris An.* 1720, *inter sævientis adhuc contagia morbi instituta fuit, et in Diœcesi Massiliensi usque in hanc diem speciali devotione celebrata. Hanc tamen Ill. et Rev. DD. Carolus-Fortunatus de Mazenod ampliare volens devotionem, prædictum festum ad altiorem ritum evexit. Suo igitur decreto die* 10 *Augusti An.* 1824 *statuit ut deinceps Festum sacratissimi Cordis Jesu sub ritu duplici I.æ Classis per totam Diœcesim celebretur, cum octavâ, quæ iisdem ac festum Corporis Christi privilegiis gaudeat. Scilicet:*

Per octavam Sacratiss. Cordis Jesu non fit officium de festo semiduplici occurrente, nec de duplici translato. De simplici fit commem. in vesperis et laudibus, sine lectione; nisi eo die occurrat festum duplex alicujus sancti. Tunc enim omissâ nonâ lectione homiliæ, recitatur de simplici nona lectio, quæ propria fuerit de vitâ Sancti.

Si in die oct. Corp. Christi incidat festum S. Joannis, Vesperæ erunt integræ de SS. Corde Jesu, cum commem. s. Joannis, et octavæ Corp. Christi. Si vero festum S. Joannis sit postridiè,

Digitized by Google

similiter vesperæ erunt integræ de SS. Corde Jesu, cum commem. S. Joannis; et idem dicendum de festo SS. Apostolor. Petri et Pauli.

AD VESPERAS.

Antiphona.

IN capite libri scriptum est de me : ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui : et legem tuam in medio cordis mei.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ, et loco ultimi, Psalmus.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Quid mihi est in cœlo, et à te, quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum; Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Ant. Improperium expectavit cor meum et miseriam : sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : et qui consolaretur, et non inveni.

Ant. Et dixi : Ergo sine causâ justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas : et fui flagellatus totâ die.

Ant. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

CAPITULUM. *III. Reg.* 3.

SAnctificavi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum : et erunt oculi mei, et Cor meum ibi, dicit Dominus.

HYMNUS.

COr Jesu melle dulcius;
Cor sole puro purius;

Digitized by Google

Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium!
Tu portus orbi naufrago;
Secura pax fidelibus:
Reis azylum mentibus;
Piis recessus cordibus.
Nidus gementis turturis;
Gratum columbis pabulum;
Hortus refulgens floribus;
Sponsæ quies et lectulus.
Hîc casta spirant lilia
Quibus nitescunt Virgines:
Hîc unde splendent Martyres
Blandè rubescit purpura.
Hîc sacra virtutum cohors,
Custos comesque candidæ
Fidelis innocentiæ,
In sede regnat propriâ.
Jesu, Patris Cor unicum;
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus;
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Benedic anima mea Domino; Alleluia.

℟. Et omnia quæ intrà me sunt nomini sancto ejus. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Largitus est nobis multitudinem bonorum, secundùm indulgentiam suam, et secundùm multitudinem misericordiarum suarum.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias, Ecclesiæ tuæ novo beneficio aperire dignatus es, concede, ut hujus Sacratissimi Cordis amori respondere; et

Digitized by Google

injurias eidem afflictissimo Cordi, ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Octavæ Corporis Christi.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Cor Jesu amantissimum, opprobriis amore nostri saturatum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

COElestis aulæ glória,
Qui sede lapsus ætheris,
Cœli triumphos deseris,
Ut nostra fias hostia.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus:
Ut lingua pangat digniùs
Cordis tui præconium.

Hoc, fata quæ mundum regunt,
Volvuntur alto pectore.
Hoc fonte, quæ mentes beant,
Manant fluenta gratiæ.

Ex te, quot actus prodeunt,
Tot digna Patre munera.
Quot vota fundis, tot Pater
Accensa ponit fulmina.

Cor, Ara cœlo celsior,
Terris, mari capacior:
Quas antè non exceperis,
Deus repellit hostias.

Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus;
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. Tribuat tibi secundùm Cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis : * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto : * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui : * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundùm cor tuum : * et omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo : * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas : * nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo : * in potentatibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis : * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt : * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine, salvum fac Regem : * et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri, etc.

Ant. Tribuat tibi secundùm Cor tuum, et omne consilium tuum confirmet. Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Ant. Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ : ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Digitized by Google

Psalmus 22.

DOminus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuæ, ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ: * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversùs eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quàm præclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Ant. Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ: ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Ant. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. Non avertas faciem tuam à me.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea et salus mea; * quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ; * à quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Digitized by Google

Si consistant adversùm me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram : * ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ :

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petrâ exaltavit me : * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te : * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam à me : * ne declines in irâ à servo tuo.

Adjutor meus esto : * ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me : * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in viâ tuâ : * et dirige me in sèmitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me : * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini : * in terra viventium.

Digitized by Google

Expecta Dominum, viriliter age: * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Ant. Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. Non avertas faciem tuam à me.

℣. Ignem veni mittere in terram; Allelnia.

℟. Et quid volo, nisi ut accendatur? Alleluia.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. Cap. 36.

SAnctificabo nomen meum magnum, ut sciant gentes quia ego Dominus, ait Dominus exercituum; cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris: et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam; et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestrî: et auferam cor lapideum de carne vestrâ, et dabo vobis cor carneum; et Spiritum meum ponam in medio vestrî.

℣. Cor Jesu divinissimum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, in quo habitat * Omnis plenitudo divinitatis.

℟. Super quod requiescit Spiritus Domini; Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; Spiritus timoris Domini. Omnis.

De Epistolâ B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio ij. Cap. 1.

BEnedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione

benedictione spirituali in cœlestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in quâ gratificavit nos in dilecto Filio suo : in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientiâ et prudentiâ.

℟. Cor Jesu amantissimum, in quo sibi Pater benè complacuit : Imago bonitatis illius : speculum sine maculâ. * Dives in omnes qui invocant illud. ℣. In charitate perpetuâ dilexit nos, ideò attraxit nos miserans. Dives.

Lectio iij. Cap. 3.

HUjus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur ; ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem : Christum habitare per fidem in cordibus vestris. In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi ; ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis ; ipsi gloria in Ecclesiâ et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

Digitized by Google

℟. Cor Jesu afflictissimum, per quod complacuit reconciliare omnia; pacificans per Sanguinem ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt: * Gratia cum omnibus qui diligunt Cor Domini nostri Jesu Christi. ℣. Dilexit nos, et lavit nos in Sanguine suo: Ipsi gloria, et imperium cordium, in sæcula sæculorum. Gratia. Gloria Patri. Gratia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo; quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultûs mei, et Deus meus.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidiè: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:

In voce exultationis, et confessionis: * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultûs mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: *

Digitized by Google

propterea memor ero tuî de terrâ Jordanis, et Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui, * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : * salutare vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo; quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultûs mei, et Deus meus.

Ant. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tuâ deduxisti me, et cum glorià suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram?

Psalmus 72.

QUàm bonus Israel Deus : * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes : * penè effusi sunt gressus mei.

Quia zelavi super iniquos, * pacem peccatorum videns.

Digitized by Google

Quia non est respectus morti eorum : * et firmamentum in plagâ eorum.

In labore hominum non sunt : * et cum hominibus non flagellabuntur.

Ideò tenuit eos superbia : * operti sunt iniquitate et impietate suâ.

Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : * transierunt in affectum cordis.

Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam : * iniquitatem in excelso locuti sunt.

Posuerunt in cœlum os suum : * et lingua eorum transivit in terrâ.

Ideò convertetur populus meus hîc : * et dies pleni invenientur in eis.

Et dixerunt : Quomodò scit Deus, * et si est scientia in Excelso?

Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo : * obtinuerunt divitias.

Et dixi : Ergo sine causâ justificavi cor meum : * et lavi inter innocentes manus meas.

Et fui flagellatus totâ die : * et castigatio mea in matutinis.

Si dicebam, Narrabo sic : * ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Existimabam ut cognoscerem hoc : * labor est antè me.

Donec intrem in sanctuarium Dei : * et intelligam in novissimis eorum.

Verumtamen propter dolos posuisti eis : * dejecisti eos dum allevarentur.

Quomodò facti sunt in desolationem? subitò defecerunt : * perierunt propter iniquitatem suam.

Velut somnium surgentium, Domine : * in civitate tuâ imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

Digitized by Google

Quia inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt : * et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.

Ut jumentum factus sum apud te : * et ego semper tecum.

Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tuâ deduxisti me : * et cum gloriâ suscepisti me.

Quid enim mihi est in cœlo : * et à te quid volui super terram?

Defecit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt : * perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum est : * ponere in Domino Deo spem meam.

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas : * in portis filiæ Sion.

Ant. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tuâ deduxisti me, et cum gloriâ suscepisti me. Quid enim mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram?

Ant. Si audieris me non erit in te Deus recens; neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus. Dilata os tuum, et implebo illud.

Psalmus 80.

EXultate Deo adjutori nostro ; * jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum : * psalterium jucundum cum citharâ.

Buccinate in neomeniâ tubâ : * in insigni die solemnitatis vestræ.

Quia præceptum in Israel est : * et judicium Deo Jacob.

Digitized by Google

Testimonium in Joseph posuit illud, cùm exiret de terrâ Ægypti : * linguam quam non noverat, audivit.

Devertit ab oneribus dorsum ejus : * manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te : * exaudivi te in abscondito tempestatis ; probavi te apud aquam contradictionis.

Audi, populus meus, et contestabor te : * Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti : * dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam : * et Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum : * ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me : * Israel si in viis meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem : * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei : * et erit tempus eorum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti : * et de petrâ, melle saturavit eos.

Ant. Si audieris me non erit in te Deus recens ; neque adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus. Dilata os tuum, et implebo illud.

℣. Defecit caro mea, et cor meum; Alleluia.

℟. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Alleluia.

Digitized by Google

Lectio iv.

CUltum Sacratissimi Cordis Domini nostri Jesu Christi, pluribus præcedentium ætatum viris sanctitate et doctrinâ conspicuis familiarem, vergente sæculo decimo octavo, plurimi Galliarum Episcopi in suis Diœcesibus instituerunt; Clemente XIII Pontifice Maximo approbante, qui vestigiis suorum prædecessorum insistens, Poloniæ Ecclesiis, aliisque id postulantibus, festum Sacratissimi Cordis Jesu celebrandi, officiumque in ejus honorem recitandi, facultatem concessit. Massiliæ verò piùs ille cultus antiquior fuit, et singulari devotione servatus, postquàm in gratiarum actionem instituta est votiva solemnitas pro cessatione pestis, quæ anno millesimo septingentesimo vigesimo civitatem afflixit. Cujus tanta vis fuit ut intrà paucos contagionis menses pleræque privatorum ædes vacuæ habitatoribus essent, cùm neque nosocomia recipiendis diro morbo laborantibus sufficerent, neque sepeliendis mortuis vespillones.

℣. Improperium expectavit cor meum et miseriam : sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : * Consolantem me quæsivi, et non inveni. ℣. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu verò homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Consolantem me.

Lectio v.

ITaque, inter ingentes cadaverum putrescentium acervos, jacebant in vicis, compitis, ac plateis ægroti omni fermè auxilio destituti : augentibus tàm horrendi spectaculi

Digitized by Google

terrorem silentio et solitudine, in Civitate paulò antè frequentissimâ, insolitis. Tantis malis, cùm ars humana nulla mederi posset, subvenit Cor Domini Jesu omnipotens et misericors. Vix enim, peractâ publicâ, nudis pedibus, supplicatione, Sacrisque Mysteriis in loco Urbis patentissimo, qui *Curriculum* dicitur, celebratis; seipsum, Civitatem, Diœcesim, civesque omnes amantissimo Cordi Jesu devoverat Episcopus; cùm subitò vis morbi remittere visa est, nec multò post omninò evanescere.

℟. Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Corde Domini, * Omnibus diebus vitæ meæ. ℣. Hæc requies mea in sæculum sæculi; hîc habitabo, quoniam elegi eam. Omnibus.

Lectio vj.

QUo miraculo commoti Massiliæ Consules, solemni voto, Episcopo approbante, sese obstrinxerunt, quotannis diem festum, cum publicâ et solemni per Urbem supplicatione in honorem magnificentissimi benefactoris sui Cordis Jesu, celebrandi. Quod festum hactenùs feriâ sextâ post octavam Corporis Christi, singulis annis, magnâ cleri populique devotione, celebratum fuit. Neque desunt alia multa in Massiliensium gratiam à Corde Sanctissimo patrata miracula. In quibus insigne illud est, nec silentio prætereundum; quòd cùm omnes portûs aditus onerariis mercatorum navibus, Anglica intercluderet classis; statim atque preces indictæ sunt, exortus subitò ventus, classe hostium dissipatâ, omnes mercatorum naves, recto tramite, quasi

Digitized by Google

manu ducerentur, in portum divinitùs induxit.

℟. Venite et videte, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum Cordis Domini nostri Jesu Christi : scire etiam supereminentem charitatem ejus; * Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. ℣. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. Ut impleamini. Gloria Patri. Ut impleamini.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Beati qui habitant in Corde tuo, Domine : in sæcula laudabunt te.

Psalmus 83.

QUàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum : * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tuâ, Domine : * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum : in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem : * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : * auribus percipe, Deus Jacob.

Digitized by Google

Protector noster aspice, Deus : * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei : * magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentiâ : * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Ant. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Beati qui habitant in Corde tuo, Domine : in sæcula laudabunt te.

Ant. In Sacratissimo Corde Domini Jesu, Misericordia et veritas obviaverunt sibi : Justitia et pax osculatæ sunt.

Psalmus 84.

BEnedixisti, Domine, terram tuam : * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : * avertisti ab irâ indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster : * et averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis ? * aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos ; * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus

Digitized by Google

Deus : * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos; * et in eos qui convertuntur ad cor.

Veruntamen propè timentes eum salutare ipsius; * ut inhabitet gloria in terrâ nostrâ.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi : * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terrâ orta est : * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit; * et ponet in viâ gressus suos.

Ant. In Sacratissimo Corde Domini Jesu, Misericordia et veritas obviaverunt sibi : Justitia et pax osculatæ sunt.

Ant. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Psalmus 102.

BEnedic anima mea Domino : * et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino : * et noli obliviscì omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : * qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam : * qui coronat te in misericordiâ et miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum : * renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus : * et judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi ; * filiis Israël voluntates suas.

Digitized by Google

Miserator, et misericors Dominus : * longanimis, et multùm misericors.

Non in perpetuum irascetur : * neque in æternùm comminabitur.

Non secundùm peccata nostra fecit nobis : * neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cœli à terrâ, * corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantùm distat ortus ab occidente : * longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se : * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus : * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet : * et non cognoscet ampliùs locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, * et usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, * his qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius, * ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam : * et regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus : * potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus : * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus : * in omni

Digitized by Google

omni loco dominationis ejus ; benedic, anima mea Domino.

Ant. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

℣. In capite libri scriptum est de me, Alleluia.

℟. Ut facerem voluntatem tuam. Alleluia.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Respondens Jesus, dixit : Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Sermone 67, *aliàs* 8 *de verbis Domini. Cap.* 5.

ABscondisti hæc, inquit, *à sapientibus et prudentibus*; et non dixit, revelasti ea stultis et imprudentibus, sed ait : *Abscondisti* quidem *à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Sapientibus et prudentibus, irridendis, arrogantibus, falsò grandibus, verè autem tumentibus opposuit non sapientes, non prudentes, sed parvulos. Qui sunt parvuli? Humiles. Ergo *abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus.* Nomine sapientium et prudentium superbos intelligi posse ipse exposuit, cùm ait, *revelasti ea parvulis.* Ergo, abscondisti non parvulis. Quid est non parvulis? Non humilibus. Quid est, non humilibus? nisi superbis? O via Domini! Aut non erat, aut latebat, ut revelaretur nobis. Unde Dominus exultavit, nisi quia revelatum est parvulis? Debemus esse parvuli : nam si

Digitized by Google

voluerimus esse magni, quasi sapientes et prudentes, non nobis illud revelatur.

℣. Fons hortorum, Cor Jesu dulcissimum: hortus conclusus, fons signatus: * Emissiones ejus Paradisus. ℣. Puteus aquarum viventium, quæ fluunt cum impetu in omnes Sanctos. Emissiones.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio viij.

Ex Serm. 70, *aliàs* 9. *Cap.* 1.

Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est. Mirum quibusdam videtur, cùm audiunt Dominum hæc dicentem, et considerant eos qui jugum ipsum intrepidâ cervice subierunt, et illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari et exerceri difficultatibus hujus sæculi, ut non à laboribus ad quietem, sed à quiete ad laborem vocari videantur: cùm et Apostolus dicat: *Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur.* Ait ergo aliquis: Quomodò jugum lene est, et sarcina levis, quandoquidem illud jugum et sarcinam ferre, nihil aliud est, quàm piè vivere in Christo..... Sub illo jugo leni et sarcina levi audiamus Apostolum dicere: *In omnibus commendamus nosmetipsos in multâ patientiâ, in tribulationibus, in angustiis, in plagis.* Et alio loco in eâdem epistolâ: *A Judæis quinquies quadragenas unâ minùs accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui*; et cætera pericula, quæ numerari quidem possunt, sed tolerari, nisi Spiritu sancto juvante, non possunt.

℣. Si quis sitit, veniat ad Cor Jesu et bi-

Digitized by Google

bat. De Corde illo fluent aquæ vivæ; * Et erit fons perpetuus aquæ salientis in vitam æternam. ℣. Fluminis illius impetus lætificat civitatem Dei. Et erit. Gloria Patri. Et erit.

Lectio ix. Cap. 2.

OMnia ergo illa quæ commemoravit aspera et gravia frequentiùs et abundantiùs sustinebat. Sed profectò aderat ei Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renovaret de die in diem; et gustatâ requie spiritali in affluentiâ deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, et omnia gravia relevaret. Ecce quàm suave jugum Christi portabat, et quàm levem sarcinam, ut omnia illa quæ superiùs enumerata, dura et immania omnis auditor horrescit, levem tribulationem diceret: Intuens interioribus et fidelibus oculis, quanto pretio temporalium emenda sit futura vita; non pati æternos labores impiorum, et sine ullâ sollicitudine perfrui æternâ felicitate justorum. Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

VEnite ad Sanctuarium Domini, quod sanctificavit in æternum. Alleluia.

Ant. In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Alleluia.

Ant. Ibi solummodò magnificus est Dominus noster: locus fluviorum; rivi latissimi et patentes. Alleluia, alleluia.

Ant. De plenitudine ejus nos omnes accepimus; et gratiam pro gratiâ. Alleluia.

Digitized by Google

Ant. Per ipsum habemus accessum, in uno Spiritu, ad Patrem. Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. *Hebr.* 4.

ADeamus ergo cum fiduciâ ad thronum grâtiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio oportuno.

HYMNUS.

NOvo Deus mysterio,
Carnem suam dat pabulum;
Et Sanguinem dat poculum,
Mirabili convivio.
Quem proni adorant Angeli,
Hic temperato numine,
Sub mystico velamine,
Fit esca vilis servuli.
Amore quid sagacius?
Cordis sui convivium
Parat, sacris ut ignibus
Cor ardeat fidelium.
O Cor, Deo par victima!
Altare sacratissimum,
In quo, perennis hostia,
Culpas pias mortalium!
O Cor amore saucium!
Amore corda saucia:
Vitale nectar Cœlitum,
Amore nos inebria.
Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

℣. Discite à me quia mitis sum et humilis Corde : Alleluia.

℟. Et invenietis requiem animabus vestris. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Cor Jesu amantissimum ; fons inexhaustus bonorum omnium, via et vita nostra, pax nostra, reconciliatio nostra, exemplar nostrum, refugium nostrum, gaudium nostrum, exilii nostri solatium : tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, tibi imperium cordium in æternum. Alleluia.

ORATIO.

DOmine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias, Ecclesiæ tuæ novo beneficio aperire dignatus es ; concede, ut hujus Sacratissimi Cordis amori respondere ; et injurias eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus illatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM.

Ant. Venite.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Mariâ Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. In ipso.

CAPITULUM. *Hebr.* 4.

ADeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Digitized by Google

℟. *br.* Ignem veni mittere in terram; * Alleluia, alleluia. Ignem veni. ℣. Et quid volo, nisi ut accendatur? Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Ignem veni.

℣. Defecit caro mea, et cor meum; Alleluia.

℟. Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. Alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Ibi solummodò.

CAPITULUM. *Osee* 2.

ECce ego lactabo eam, et ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Et sponsabo te mihi in sempiternum, in misericordiâ et miserationibus. Sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus.

℟. *br.* Defecit caro mea et cor meum: * Alleluia, alleluia. Defecit. ℣. Deus cordis mei, et pars mea Deus, in æternum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Defecit.

℣. In capite libri scriptum est de me; Alleluia.

℟. Ut facerem voluntatem tuam. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Per ipsum.

CAPITULUM *Osee.* 11.

EGo quasi nutritius portabam eos in brachiis meis; et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.

Digitized by Google

℟. *br.* In capite libri scriptum est de me; * Alleluia, alleluia. In capite. ℣. Ut facerem voluntatem tuam. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. In capite.

℣. Spiritus meus super mel dulcis; Alleluia.

℟. Et hæreditas mea super mel et favum. Alleluia.

IN II. VESPERIS.

Antiph. In capite libri, *cum reliquis; Psalmi, capitulum, et uersus, ut in primis.*

Ad Magnificat.

Antiph. O victima charitatis! Cor Jesu, pro peccatis nostris afflictissimum; ab ingratis hominibus etiamnùm in Eucharistiâ neglectum ac despectum: converte nos, vivifica nos, accende nos, salva nos.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, etc. *ut suprà in laudibus.*

* *Per Octavam Sacratissimi Cordis J. C. Officium recitatur ut in festo, exceptis lectionibus, quarum primæ erunt de Scripturâ occurrente; In secundo et tertio nocturno dicentur eæ quæ inferiùs per ordinem sunt assignatæ.*

Digitized by Google

Sabbato infrà Octavam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Ex Tract. de Passione Domini, super illud: Ego sum vitis vera. *Cap.* 3.

Lectio iv.

FOderunt (Judæi) et perfoderunt non solùm manus, sed et pedes, latus quoque et Sanctissimi Cordis intima furoris lanceâ perforaverunt, quod jam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum. *Vulnerasti*, inquit in Canticis amoris sponsus, *cor meum, soror mea sponsa: Vulnerasti cor meum.* Vulnerat cor tuum, Domine Jesu, sponsa tua, amica tua; soror tua. Quid necessarium fuit illud ab inimicis ultrà vulnerari? Quid agitis, ô inimici? Si vulneratum est, imò quià vulneratum est Cor dulcis Jesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis quòd uno vulnere tactum cor emoritur, et fit insensibile mortuum Cor Domini Jesu, quià vulneratum? Possedit vulnus amoris; possedit mors amoris Domini Cor sponsi Jesu. Quomodò mors altera introibit?

℟. Improperium. p. 235.

Lectio v.

QUia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hîc esse; ne sinamus nos facilè avelli ab eo..... O quàm bonum et quàm jucundum habitare in Corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita, Cor

Digitized by Google

tuum, bone Jesu! Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia, et comparabo illam mihi; jactans omnem cogitatum in Cor Domini Jesu, et sine fallaciâ illud me enutriet. Ad hoc templum, ad hæc Sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini; dicens cum David: *Inveni cor meum, ut orem Deum meum.* Et ego inveni cor Regis, fratris, et amici benigni Jesu: et numquid non adorabo? Orabo utique; Cor enim illius meum est. Audacter dicam, nam si caput meum Christus est; quomodo quod capitis mei est, non meum est?..... Hoc igitur corde tuo et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum. Admitte tantùm in sacrarium exauditionis tuæ preces meas; imò me totum trahe in Cor tuum..... *Amplius lava me ab iniquitate meâ, et à peccato meo munda me;* ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare.

℣. Unam petii. p. 236.

Lectio vj.

AD hoc perforatum est latus tuum, dulcissime Jesu; ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo et in te, ab exterioribus perturbationibus absoluti, habitare possimus. Nihilominùs et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodò hic ardor meliùs ostendi potest, nisi quòd non solùm corpus, verùm etiam ipsum Cor lanceâ vulnerari permisit? Carnale ergò vulnus, vulnus spirituale ostendit. Et hoc fortasse innuit ipsa autoritas prælibata, in quâ

Digitized by Google

bis positum est, *Vulnerasti* : Utriusque enim vulneris ipsa soror et sponsa causa est ; ac si sponsus apertè diceret : Quia zelo amoris tui vulnerasti me, lanceâ quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi priùs amoris illius vulnus percepisset?

℣. Venite. p. 237.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ; quià abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi.

Ex Comment. in Matth. Cap. XI.

DIgnè superioribus dictis confessio talis adjungitur. Nam tametsi optabilis fuerit salus Israel, tamen non extrà gaudium Domini erat prædicata olim fides gentium. Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, et parvulis revelantur; parvulis malitiâ, non sensu : sapientibus verò stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis. Factique hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis judicio confirmat : ut qui dedignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientiâ suâ fiant.

℣. Fons hortorum. p. 242.

Lectio viij.

AC ne quid in illo minus, quàm quod in Deo est existimaretur, omnia sibi à Patre ait tradita esse, solique se Patri cogni-

Digitized by Google

tum, Patremque soli sibi notum, vel cui ipse revelare voluisset : revelaturus ei, à quo ut revelare velit, oretur. Quâ revelatione eamdem utriusque in mutuâ cognitione esse substantiam docet, cùm qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio : quia omnia ei à Patre sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quàm quæ in Filio soli nota sunt Patri. Nota verò Filio soli esse, quæ Patris sunt. Atque ità in hoc mutuæ cognitionis secreto intelligitur, non aliud in Filio, quàm quod in Patre ignorabile sit, extitisse.

℟. Si quis sitit. p. 242.

Lectio ix.

LEgis deindè difficultatibus laborantes, et peccatis sæculi oneratos ad se advocat; dempturumque se laborem onusque promittit, si modò ejus jugum tollant, mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque Sacramento crucis adeant : quia corde humilis et mitis sit, et in his animabus suis requiem inveniant : jugi suavis et levis oneris blandimenta proponens, ut credentibus ejus boni scientiam præstet, quod solus ipse novit in Patre. Et quid jugo ipsius suavius? Quid onere levius? Probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi, præsentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

Dominicâ infrà Octavam.

Fit de eâ, ut in Psalterio et proprio de tempore, cum commem. Octavæ.

Feriâ II. infrà Octavam.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.
Tract. de Pass. Dom. Cap. 17.
Lectio iv.

VIdeamus quantùm in se (humilitatem), virtutem omnium virtutum Dominus commendavit. Primò verba ejus attendentes ubi ait: Discite à me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Quid est, Magister bone, optime Jesu? Numquid ad hoc redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in te reconditi, ut hoc singulariter doceas, *quià mitis es, et humilis corde?* Non doces ut cœli discantur fabricari, fieri miracula, mortui suscitari, et cætera hujusmodi, sed *quia mitis sum et humilis corde.* Numquid tam magnum est quod parvum est? Utique; quia per hoc invenitur requies animabus.

℣. Improperium. p. 235.

Lectio v.

QUæ enim alia est causa omnis laboris et certaminis nostri, nisi ut inveniamus requiem animabus nostris? Brevis doctrina, brevis

Digitized by Google

brevis via demonstrata est. Disce hanc à Domino Jesu, qui mitis est, et humilis corde; id est, vide et quantùm et quarè humiliatus fuit ille, qui est *excelsus super omnes gentes Dominus, et super cœlos gloria ejus* : et disce etiam quià tu es lutum et cinis, et sic invenies requiem animæ tuæ. Sed nota quod ait : *Humilis corde.* Non enim fictâ humilitate placatur ille qui est *humilis corde*, sed humilitate verâ. Humilitate cordis delectatur ille, qui intuetur cor; quià in humilium cordibus requiescit. Quærit enim corda humilium, quæ elevet, non tumida, à quibus resiliat.

℟. Unam petii. p. 236.

Lectio vi.

SEd quæ est causa tantæ humiliationis in benigno Jesu? Non enim sine rationabili necessitate et justâ causâ sic humiliatus est Filius et Sapientia Patris, quæ nihil sine causâ facit. Quid multis immoramur? Propter hoc factus est homo, ut hominem redimeret. Infirmatus est, ut nostras infirmitates curaret. Inops factus est, ut suâ nos inopiâ ditaret. Humiliatus est, ut nos exaltaret. Traditus est ad mortem, imò mortuus est, ut nos vivificaret..... Humiliemur ergo, et vicem rependamus propter nos humiliato Domino Jesu, offerentes violam humilitatis ipsius, quâ ipse vitis nostra tàm excellenter effloruit..... ut hunc florem suum, quem ipse specialiter in se voluit commendare, recognoscens in nobis; nos secum, *qui super omne nomen exaltatus est*, in tempore visitationis suæ exaltare dignetur.

℟. Venite. p. 237.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ ; quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homiliâ S. Augustini Episcopi.

Ex Sermone 164 *de Verbis Apostòli ad Galatas. num.* 7.

CHristus clamat magister, unicus Dei filius, solus verax, verus, veritas clamat : *Discite à me.* Quid ? Quià in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum ; et Deus erat Verbum, et omnia per ipsum facta sunt ? Numquid hoc ab eo discere poterimus, mundum fabricare, Cœlum luminibus implere, diei noctisque vicissitudines ordinare, tempora et sæcula jubere percurrere, seminibus vim tribuere, animalibus terram replere ? Nihil horum nos jubet discere Magister cœlestis. Illa facit ut Deus. Sed quià iste Deus et homo esse dignatus est, in eo quod Deus est, audi ut recreeris ; in eo quod homo est, audi ut imiteris.

℟. Fons hortorum. p. 242.

Lectio viij.

DIscite, inquit, à me ; non mundum fabricare et creare naturas : nec illa quidem alia quæ hîc latens Deus, homo manifestus effecit ; nec ipsa dicit ; discite à me febres ab ægrotantibus pellere, fugare dæmonia, mortuos suscitare, ventis et fluctibus imperare ; super aquas ambulare : nec hoc

Digitized by Google

dicit, *discite à me.* Hæc enim dedit quibusdam discipulis suis, quibusdam non dedit: hoc autem, *discite à me*, omnibus dicit; ab hoc præcepto nemo se excuset, *discite à me quià mitis sum, et humilis corde.*

℟. Si quis sitit. p. 242.

Lectio ix.

QUarè dubitas hanc sarcinam ferre? Hæc sarcina gravis est, humilitas et pietas? Hæc sarcina gravis est, fides, spes, charitas? Istæ enim humilem, istæ mitem reddunt. Et vide quia oneratus non eris, si ipsum audieris. *Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est.....* Hæc sarcina non est pondus onerati, sed alæ sunt volaturi. Habent enim et aves pennarum suarum sarcinas. Et quid dicimus? Portant illas et portantur. Portant illas in terrâ; portantur ab illis in cœlo..... Porta ergò pennas pacis, alas accipe charitatis. Hæc est sarcina: sic implebitur lex Christi.

Te Deum laudamus.

Feriâ III. infrà Octavam.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.
Tract. de Pass. Dom. Cap. 41.

Lectio iv.

INspice lateris aperturam; quia nec illa caret rosâ, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ; quia sicut narrat Evangelista; *Cùm unus militum lanceâ latus ejus perforasset, exivit sanguis et aqua.* Ipse est enim

Digitized by Google

qui venit per aquam, et non per aquam solum, sed per aquam et sanguinem, optimus Jesus Christus. O suavissime universorum Domine et Salvator, bone Jesu; quales tibi condignas gratiarum referre potero actiones? qui à principio ortûs tui, usque ad mortem durissimam, imò et..... post mortem pro me pretiosissimum sanguinem tuum effudisti; qui ardorem excellentissimæ charitatis tuæ tam crebris sanguinis tui effusionibus manifestare curasti.

℟. Improperium. p. 235.

Lectio v. Cap. 44.

INtra ergo, ô anima, paradisum omnibus paradisis meliorem; nunc solo cogitationis, quo potes, affectu: ut postmodùm animâ et corpore, et terrestrem et cœlestem paradisum valeas introire..... O quàm felix eris, si postquàm intrà florentis paradisi nostri flores sanguineos, vulnera dico, fueris intromissus; ab hujus mundi strepitu et tentationum incursibus, per dimidiam saltem horam, omninò valeas liberari! et soli ei, ad quem introisti, vacans, gustare et intelligere possis quàm bonus, quàm suavis est Dominus!

℟. Unam petii. p. 236.

Lectio vi.

TAndem accedendum est ad Cor humillimum altissimi Jesu per januam lateris lanceati. Ibi procul dubio thesaurus ineffabilis desiderabilis charitatis latet. Ibi nova devotio invenitur: inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis. Præcipuè cor contritum et humiliatum ibi invenitur. Ipse Jesus com-

Digitized by Google

plexus tuos desiderat; talis ut complectatur, expectat. Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, tanquam dicat tibi: ..... Redde vicem; et super vulnera mea misericordiâ commovere; et pone me talem, qualem nunc vides, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operationibus brachii tui, mihi taliter, ut vides, signato possis similis inveniri.

℣. Venite. p. 237.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ; quià abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Lib. de Sanctâ Virginitate. num. 35.

CErtè præcipuum magisterium et virginalis integritatis exemplum in ipso Christo contuendum est. Quid ergò ampliùs continentibus de humilitate præcipiam, quàm quod ille, qui omnibus dicit, *Discite à me, quoniam mitis sum, et humilis corde?* Cùm magnitudinem suam suprà commemorasset: et idipsum volens ostendere quantus propter nos quantillus effectus est: Confiteor, inquit, tibi Pater, Domine cœli et terræ; quoniam abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ità Pater, quoniam sic placitum est

Digitized by Google

coram te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo cognoscit filium nisi pater, et nemo cognoscit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite à me quoniam mitis sum, et humilis corde.

℟. Fons hortorum. p. 242.

Lectio viij.

ILle, ille cui omnia tradidit pater, et quem nemo agnoscit nisi pater, et qui patrem solus agnoscit, et cui voluerit revelare, non dicit : Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare; sed *quià mitis sum et humilis corde.* O doctrinam salutarem ! O Magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est ! Noluit docere quod ipse non esset; noluit jubere quod ipse non faceret. Video te, bone Jesu, oculis fidei quos aperuisti mihi, tanquàm in concione generis humani clamantem, ac dicentem : *Venite ad me, et discite à me.*

℟. Si quis sitit. p. 242.

Lectio ix.

QUid, obsecro te, per quem facta sunt omnia, Fili Dei, et idem qui factus es inter omnia, fili hominis, quid ut discamus à te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum*, inquit, *et humilis corde.* Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es et humilis corde? Itanè magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es fieret, disci omninò non posset? Ita planè. Non enim aliter invenitur requies animæ, nisi

Digitized by Google

inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat. Audiant te, et veniant ad te, et mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam et veritatem tuam requirunt, tibi vivendo, tibi, non sibi.

Te Deum laudamus.

Feriâ IV. infrà Octavam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Anselmi Episcopi.
Ex Meditat, XIII. de Christo.
Lectio vi.

ET tu nunc rursùm elevare, anima mea, quali potes conatu, et sanctis te ingere millibus lætantium in Domino Jesu. Illuc fidei et spei vehiculo perge : ibi per charitatis ardorem conversare, ubi Christus est in dexterâ Dei sedens. Intende mentis oculum in lumine vultûs ejus. Lustra ac deosculare gratulabundâ devotione singula loca felicium plagarum ejus, de quibus egressi sunt pretiosi illi liquores sanguinis sancti, quo te appretiavit Unigenitus Dei, et sanctificavit in vitam æternam. Jesu, qui non amat te, anathema sit. Qui te non amat, amaritudinibus repleatur.

℣. Improperium. p. 235.

Lectio v.

CAstus est amor tuus, Domine ; et nihil impuritatis admittit. Sobrius est sapor amoris tui, et nullam mentem alienat à recto. Suavis est amor tuus, et nihil habet amari : nam et quæ amara sunt mundi indulcat, et

Digitized by Google

dulcia ejus reddit amara. Inter angustias non coarctatur, inter pressuras non comprimitur; non perit sub inopiâ, non mœrore contrahitur. In laboribus manuum æquanimis, inter minas securus, inter blandimenta incorruptus, inter tormenta perseverat invictus, in morte semper est vivus.

℣. Unam petii. p. 236.

Lectio vi.

O Dulcis Jesu, te amet, in te delectetur, te admiretur omnis sensus bonus tuæ conveniens laudi. Deus cordis mei, et pars mea, Christe Jesu, deficiat cor meum spiritu suo, et vivas tu in me; et concalescat in spiritu meo vivus carbo amoris tui, et excrescat in ignem perfectum. Foveat et enutriat illum in me gratia tua, ut ardeat jugiter in arâ cordis mei. Ferveat in medullis meis, flagret in absconditis animæ; in die consummationis meæ consummatus inveniar apud te..... Ignem alienum, dilectionis tuæ fervor elonget à me: animam meam ad te Creatorem suum attollat, et quantùm satis est, tuo divino lumine eam immergat. Domine Jesu, omnes qui te diligunt repleantur benedictionibus tuis. Accedentes ad te in cœlo scribantur, ut sit pax eis in velamento alarum tuarum per ævum. Tibi autem, Unice Dei, sit cum æterno Patre et Sancto Spiritu laus indeficiens, inviolabile decus et solidum regnum, permanens in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Venite. p. 237.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN Illo tempore : Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex homil. 39. *in Matth. circà medium.*

SCribæ ac Pharisæi qui se suâ operâ sapientes esse arbitrabantur, suo elati tumore ceciderunt. Quare si arrogantia illis obfuit, formidate vos, inquit, ut parvulorum statum conservetis, non ignorantes id illud esse quod vobis hæc revelari effecit, cujus contrarium illos hâc revelatione privavit. Non enim, quando dicitur, *occultasti hæc à sapientibus*, rem totam Deo attribuit. Sed sicut cùm Paulus dicit : *Quia tradidit illos in reprobum sensum, et excæcavit intelligentiam ipsorum*, non operatum hæc Deum fuisse asserit, sed illos qui causam præbuerunt; sic etiam hîc dictum est, *Revelasti*. Deinde quoniam prædixit, *Confiteor tibi, Pater, quia hæc occultasti ab illis, et revelasti parvulis*; ne putes hac revelandi potestate ipsum esse privatum, ac ideò gratias agere, adjecit : *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

℟. Fons hortorum. p. 242.

Lectio viij.

CUm autem audis, *tradita*, nihil humano more, factum suspiceris; quæ dictio, ne duos ingenitos arbitrari quis possit, posita

Digitized by Google

est. Filius autem Dominus omnium nascitur; quod alibi multis in locis significat. Majus quiddam deinde adducit, ut mentem tuam ad sublimius erigat. *Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Et videtur quidem id multis, qui hæc altiùs non examinant, separatum atque alienum à superioribus esse : quod certè plurimum illis convenit, atque cohæret. Nam quoniam dixit, *Tradita sunt mihi omnia*; quid miramini, intulit, si omnium ego sum Dominus, qui et aliud quid multò majus possideo, quòd Patrem noverim; quòd ejusdem cum eo substantiæ sim? Id enim occultiùs significatur ex eo quòd sic solum se novisse Patrem dicit : idipsum (inquam) significatur, quando dicitur, *Nullus cognoscit Patrem, nisi Filius.*

℣. Si quis sitit. p. 242.

Lectio ix.

AT verò cum dicit à nemine Patrem, nisi à Filio cognosci, non dicit ab omnibus Deum ignorari; sed non cognosci eâ cognitione ab alio, quâ ipse cognoscit : quod pariter de Filio quoque dicendum est. Non enim de ignoto quodam Deo, cujus nulla unquam habita sit cognitio, hæc dicit, ut Marcion asserit; sed exquisitam perfectamque cognitionem hîc intelligit. Nam nos quidem nec Filium perfectè cognoscimus, quod Paulus scribit dicens : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus.* Cùm igitur, per ea quæ dicta sunt confirmasset ipsos, atque in desiderium suî attraxisset, omnipotentiâ ipsius aliqualiter monstratâ, tunc ad se vocat, di-

Digitized by Google

cens : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos.*

Te Deum laudamus.

Feriâ V. infrà Octavam.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Ex Serm. de quartâ feriâ, sive de culturâ agri Dominici.

Lectio iv.

JAm agnoscis, anima christiana, quemadmodum et tu ex illo sanguine efficiaris candida, ut omnis et corpore et corde pulchra ascendas de fonte Christi, consecrata in sanguine. Quid enim manavit ex illo latere crucifixi? Sanguis et aqua. Ex sanguine rubor, ex aquâ splendor. In istis duobus Sacramentis decorantur singulæ animæ, ex quibus una illa pulchra efficitur sponsa Ecclesia, cui dicitur in Cantico Canticorum : *Quàm speciosa es soror mea, dilecta mea; quàm speciosæ sunt genæ tuæ !* Et cùm ipse eam talem fecerit, ipsamque pulchritudinem ei ipse donaverit, videns eam talem, quasi miratus exclamat, atque circumstantes interrogans, dicit : *Quænam est hæc quæ ascendit dealbata?*

℣. Improperium. p. 235.

Lectio v.

VErecundè etiam ipsa respondere cogitur, et dicit suo sponso : De me interrogas, *quænam sim quæ ascendi dealbata?* Ego sum quam fœdam invenisti, pulchramque fecisti.

Digitized by Google

Ego sum cujus preces audisti, quandò me in psalmo cantare fecisti, *Lavabis me et super nivem dealbabor.* Quid ergò miraris pulchritudinem meam, cùm scias hanc esse opera tua? Quid interrogas quod ipse fecisti? Vides me dealbatam: tu lotam super nivem fecisti candidam. Ut videas me ascendentem, te cognovi de cœlo descendentem, te amavi in cruce pendentem. Humilitas tua facta est exaltatio mea. Fœditas tua facta est pulchritudo mea. Nisi enim tu de cruce vulneratus descenderes, ego dealbata de fonte non ascenderem.

℟. Unam petii. p. 236.

De expositione S. Cypriani Episcopi in Symbolum Apostolorum.

Lectio vi.

SCribitur Jesus in latere percussus, aquam et sanguinem profudisse. Hoc quidem mysticum est: ipse enim dixerat, *quia flumina de ventre ejus procedent aquæ vivæ.* Sed produxit et sanguinem, quem petierant Judæi venire super se, et filios suos. Produxit ergò aquam, quæ credentes diluat. Produxit sanguinem, qui condemnet incredulos. Potest tamen etiam intelligi, quod duplicem gratiam baptismi figuraverit, unam quæ datur per aquæ baptismum; aliam quæ per martyrium profusione sanguinis quæritur: utrumque enim baptismum nominatur. Quod si et hoc quæris, cur non ex alio membro, sed ex latere potiùs, produxisse dicatur aquam et sanguinem? videtur mihi in latere per costam mulier indicari, quia fons peccati et mortis de muliere primâ, quæ fuit primi Adam costa, processit;

Digitized by Google

processit; fons redemptionis ac vitæ de secundi Adam costâ producitur.

℣. Venite. p. 237.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

De Homiliâ S. Joannis Chrysostomi.

Ex eâdem Homiliâ 39. *in Matthæum, circà finem.*

VEnite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Non hic, aut ille; sed omnes qui curis, qui doloribus, qui peccatis laboratis, venite ad me; non ut pœnas luatis, verùm ut dolores peccataque vestra dissolvantur. *Venite ad me*, non quià glorificari me à vobis opus est mihi, sed quià salutem vestram maximè sitio. Ego, inquit, requiem vobis tribuam: non dixit, salvos faciam, sed quod majus est, in omni quiete constituam. *Tollite jugum meum super vos, et discite à me quià mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Nolite igitur jugum audientes pertimescere; suavitatis enim eximiæ plenum est. Neque metuatis, etiamsi onus dixerim; leve enim est.

℣. Fons hortorum. p. 242.

Digitized by Google

Lectio viij.

VErùm quòd suave leveque sit virtutis jugum multis aliis etiam posset (sermonibus) comprobari. Sed nos ad ultimum jam veniamus, et molesta onera peccati consideremus, ac ex omnibus maximè avaritiam in medium educamus, quâ turpissima multi peccata dolosè cauponantur, recauponanturque. Quid igitur molestius hâc re uriquam invenitur? Quot dolores, quæ magnæ curæ, quot rerum offensiones, quanta pericula, insidiæ, pugnæ, hujusmodi lucris quotidiè exoriuntur? Quæ turbationes, qui tumultus? Nam quemadmodùm sine fluctibus mare nunquam conspicitur, sic animos eorum absque sollicitudine, terrore, turbatione nunquam reperies: sed antequàm priora componant, alia invaserunt: et ad hæc rursùs alia atque alia subingressa, ingentem cumulum montium instar erexerunt.

℣. Si quis sitit. p. 242.

Lectio ix.

DIscite, inquit, *à me quià mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Omnium enim bonorum fons atque origo clementia est. Non ergo pertimescas onus, nec ab eo jugo resilias, quo te Christus ab omnibus istis vindicat: sed omni alacritate animi jugum hoc subeas, et tunc quàm suave sit, facilè cognosces. Nec enim teret cervicem tuam, sed ornatûs gratiâ imponitur: et ut discas ordine ad regiam viam procedere, et præcipitia utrimque vitare, ac facilè per angustam viam lætus incedere. Quoniam ergò tot tantaque bona hoc jugum præbet, quoniam tantâ securitate vallatum est, quoniam

Digitized by Google

tanto gaudio replet; omni curâ, studio, operâque ipsum trahamus, ut et hîc requiem animarum inveniamus, et futurâ beatitudine potiamur; gratiâ et misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

Feriâ sextâ.
Octava Sacratissimi Cordis.

Officium de VITA INTERIORE *Domini Nostri Jesu-Christi.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

NOstra conversatio in cœlis est; unde Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.

Psalmi ad utrasque vesperas, matutinum et laudes dicuntur ut in festo SS. Cordis Jesu.

Ant. Gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, tanquàm à Domini Spiritu.

Ant. Licet his qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is qui intùs est renovatur de die in diem.

Ant. Charitas Christi urget nos; æstimantes hoc, quoniam pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Ant. Quis nos separabit à Charitate Christi?

Digitized by Google

In omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

CAPITULUM. *Ephes.* 3.

PAter Domini nostri Jesu Christi det vobis, secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem; Christum habitare per fidem in cordibus vestris.

HYMNUS.

NOn tingat aras jam pecudum cruor;
En immolatur dignior hostia.
Flammis adustum Cor supernis
Ecce Deo Deus ipse libat.
Unctus perenni chrismate Pontifex
Ad sancta templi nos vocat intima.
Quid thura legis? thure pectus
Pontificis meliore fumat.
Agnum sub arâ perpetuis sacri
Fornax amoris conficit ignibus.
Unâ litandum cæde Natum
Jugis amor sine cæde mactat.
Tu par Parenti, quæ Pater imperat,
Promptus statuto tempore perficis:
Descripta vivit lex paterna
In tabulis animata cordis.
Se deprimentis conscia Numinis
Mens hæret alto muta silentio:
Quàm magna tractas! Quàm potenti
Voce, Deus, loqueris silendo!
Laus summa Patri, summaque Filio,
Sit summa Sancto gloria Flamini.
Tu fac adurat dedicatum,
Christe, tibi tua flamma pectus. Amen.

Digitized by Google

℣. Quid mihi est in cœlo? et à te quid volui super terram?

℟. Deus cordis mei, et pars mea Deus, in æternum.

Ad Magnificat.

Antiph. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso. Alleluia.

ORATIO.

DEus, qui omnes thesauros sapientiæ et scientiæ, ac vitæ tuæ plenitudinem posuisti in Filio tuo, ut per ipsum, et in ipso vitam habeamus et abundantiùs habeamus; concede, quæsumus, ut ejus Spiritu intùs renovati, novum hominem induamur, qui secundùm te creatus est, in justitiâ et sanctitate veritatis. Per eumdem..... in unitate ejusdem.

Et fit commem. Octavæ, ut in I. Vesperis festi.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Filium Dei Patris dilectum, in quo sibi complacuit, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

O Quàm digna coli cantibus æmulis,
Quæ Christi latitant corde sub intimo!
Patris progenies, Christus Homo Deus;
Quantis dignus honoribus!
Templum tu, Genitor, pectoris intima,
Præsens ipse tuo numine consecras.
Tu votis, Genitus, supplicibus Patrem
Cultu non colis impari.

Digitized by Google

Templum perpetuis laudibus insonat:
Templum perpetuis fragrat odoribus.
Hic mens pura Deo munera devovet;
Dignas mens litat hostias.
In Christo quot opes, dona scientiæ
Quot præcelsa Pater prodigus abdidit!
O quàm dives adest in penetralibus
Thesaurus sapientiæ!
Ardens interiùs qui sacer artifex
Tantum finxit opus, Spiritus insidet;
Perlustrans operis grande decus sui,
Mirum quàm sibi complacet!
Quæ Christi cumulas alta sacraria
Tantis divitiis, laus tibi, Trinitas.
Fac nos, Christe, tuis interioribus
Donis perpetuò frui. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. In me gratia omnis viæ et veritatis: in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et à generationibus meis implemini.

Ant. Spiritus enim meus dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Memoria mea in generationes sæculorum.

Ant. Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient. Qui audit me non confundetur, et qui operantur in me non peccabunt. Qui elucidant me vitam æternam habebunt.

℣. Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis, Alleluia.

℟. Plenum gratiæ et veritatis. Alleluia.

Digitized by Google

De Epistolâ B. Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 8.

QUi secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt; qui verò secundùm spiritum sunt, quæ sunt spiritûs sentiunt. Nam prudentia carnis mors est: prudentia autem spiritûs, vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem, fratres, in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

℟. Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, * Ad cognoscendum illum, et virtutem resurrectionis ejus, et societatem passionum illius. ℣. Vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est. Ad cognoscendum.

De Epistolâ primâ ad Corinthios.

Lectio ij. Cap. 15.

FActus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale: deindè quod spiritale.

Digitized by Google

Primus homo de terrâ, terrenus : secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Igitur, sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit.

℟. Vivo, jam non ego : vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, * Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. ℣. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Qui dilexit.

De Epistolâ ad Ephesios.

Lectio iij. Cap. 3.

FRatres : Ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis ; quæ est gloria vestra. Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terrâ nominatur ; ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris ; in charitate radicati et fundati ; ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum ; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundánter quàm petimus, aut intelligimus, secundùm virtutem quæ operatur in nobis : ipsi gloria in Ecclesiâ, et in Christo Jesu, in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

Digitized by Google

℟. In Christo edocti estis deponere vos veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. * Renovamini autem spiritu mentis vestræ. ℣. Facite vobis cor novum, et spiritum novum. Renovamini. Gloria Patri. Renovamini.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

Ant. Sicut accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et superædificati in ipso, et confirmati in fide.

Ant. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

℣. Gustate et videte quoniam suavis est Dominus : Alleluia.

℟. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Alleluia.

De expositione S. Gregorii Papæ in septem Psalmos pœnitentiales.

Lectio iv. De III. Psalmo ℣. 14.

Ego autem tanquàm surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum. Disce, qui maledicta et irrisiones pateris, in omnibus servare patientiam, et obtrectantium linguas audire. Dissimula, ne si tu contumeliis convicia retuleris, à doctrina Christi extorris inveniaris. Mediator namque Dei et hominum homo Christus Jesus, qui ad hoc venerat, ut humilitatis et patientiæ præberet exemplum, non solùm injurias sustulit, sed nec conviciantibus respondit : nos in hoc instruens, ut cùm perfidorum injuriis impeti-

Digitized by Google

mur, etiamsi vera dicere possumus, ad contumelias reddendas non erumpamus, ne ministerium correptionis in arma vertamus furoris.

℟. Si quis diligit me sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum; et * Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. ℣. Adjutor meus et Protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris. Ad eum veniemus.

Lectio v.

ET factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones. Sicut homo non audiens erat, cui, nihil ad objecta respondenti, Pilatus dicebat: *Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia?* Qui cogitationes iniquorum noverat, blasphemantium voces non audiebat. Nulla enim blasphemia eum movere poterat qui penitùs omnem mutabilitatem ignorabat, et qui posset eis vera pro falsis respondere, ut adimpleretur quod de eo per prophetam scriptum est: *Tanquàm ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum.*

℟. Venerunt omnia bona, et innumerabilis honestas per manus illius. * Infinitus enim thesaurus est hominibus; quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. ℣. Christus Jesus factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. Infinitus.

Lectio vj.

QUoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine Deus meus..... In te, Domine, speravi, non in sapientiâ sæculi,

Digitized by Google

non in divitiis mundi, non in viribus corporis, non in nobilitate carnis, non in tutamento principum, non in præsidiis amicorum. Verba sunt hæc Christi secundùm humanam naturam. Sic ergo et membrum Christi, si quando persecutionibus affligitur, si flagellis atteritur, si conviciis provocatur, illum qui propositus est nobis forma justitiæ, in omnibus imitetur. Non deficiat, si causa sua non auditur apud terrenum judicem; sciens quòniam conscium habet in excelsis Regem cœléstem. Speret, quia si in hoc sæculo immeritò accipit damnationis sententiam, à Deo accipiet in cœlo coronam.

℟. Occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. * Veritatem autem facientes in charitate, * Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. ℣. Locuta est Sapientia: Relinquite infantiam, et vivite; et ambulate per vias prudentiæ. Veritatem. Gloria Patri. Crescamus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Alleluia.

Ant. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Alleluia.

Ant. Ego diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Alleluia.

℣. Ecce Deus Salvator meus; fiducialiter agam, et non timebo; Alleluia.

℟. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus. Alleluia.

Digitized by Google

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 14.

IN illo tempore : Dixit Jesus Thomæ : Ego sum via, et veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

Serm. 2. de Resurrectione, circà medium.

SI mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones et mores atque omnia instituta sectetur; quæ nobis erit communio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est, ut ipse insinuavit, via, et veritas, et vita? via scilicet conversationis sanctæ, veritas doctrinæ divinæ, et vita beatitudinis sempiternæ. Collapsâ enim in parentibus primis humani generis plenitudine, ita misericors Deus, creaturæ ad imaginem suam factæ, per Unigenitum suum Jesum Christum, voluit subvenire, ut nec extrà naturam esset reparatio naturæ, et ultrà propriæ originis dignitatem proficeret secunda conditio.

℟. Qui videt me, videt et Patrem. Non creditis quia * Ego in Patre, et Pater in me est? Pater in me manens, ipse facit opera. Alleluia, alleluia. ℣. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ego in Patre.

Lectio viij.

INter omnes namque vitæ hujus varietates, quæ diversarum plenæ sunt passionum, Apostolicæ exhortationis meminisse debemus, quâ nos

Digitized by Google

nos instruit, dicens: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.....* Si magnæ, inquit pietatis Sacramentum intelligitis, et quod pro salute humani generis unigenitus Dei Filius gessit, advertitis, *hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu;* cujus humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum, quod manens Deus, in formâ Dei Deus, non est arbitratus indignum.

℣. Ego à meipso facio nihil; sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. * Et qui me misit mecum est: et non reliquit me solum; * Quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Alleluia, alleluia. ℣. Audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego: Mitte me. Et qui. Gloria Patri. Quia ego.

Lectio ix.

Imitamini quod operatus est; diligite quod dilexit; et invenietis in vobis Dei gratiam. Vestram in illo redamate naturam; quoniam sicut ille paupertate divitias non amisit, gloriam humilitate non minuit, æternitatem morte non perdidit, ita et vos eisdem gradibus, eisdem vestigiis, ut cœlestia apprehendatis, terrena despicite..... Non autem sufficit Filium in solâ Patris nosse naturâ; nisi eum non recedentem à propriis agnoscamus in nostris. Exinanitio enim illa, quam reparationi impendit humanæ, dispensatio fuit miserationis, non privatio potestatis. Nam cùm ex æterno consilio Dei, *non esset aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri;*

Digitized by Google

invisibilis visibilem, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem suam substantiam fecit: non ut virtus deficeret in infirmitate, sed ut infirmitas in incorruptibilem posset transire virtutem.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

EGo (Sapientia) ex ore altissimi prodivi, et dixit mihi: In electis meis mitte radices. Alleluia.

Ant. In hoc clarificatus est Pater meus, ut efficiamini mei discipuli. Alleluia.

Ant. Vos vocatis me, Magister et Domine, et benè dicitis: sum etenim. Alleluia.

Ant. Perfectus discipulus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Alleluia.

Ant. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita et vos faciatis. Alleluia.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

DEliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

HYMNUS.

CHriste, fons jugis salientis undæ,
Pectoris sacros aperi recessus,
Ut Deo plenos bibat ore puro
Spiritus amnes.

Digitized by Google

Hîc latens blando placidus sopore,
Noxio mundi procul à tumultu,
Ebrius largo jacet affluentis
Numinis haustu.
Igneis pectus jaculis feritur;
Vulnus infligit Deus ipse telum;
Lædit et sanat ferientis idem
Ictus amoris.
Ardor hinc crescit, priùs hinc amata
Mens amat Christum, redamante Christo:
Æmulum pectus nimis æstuanti
Solvitur igne.
Christe, quo ferves cremer intùs æstu:
Corda fac zelus benè doctus urat.
Qui tuos rexit, regat ille nostros
Spiritus actus.
Cordis in sacris latebris sepulta
Mens, sibi sanctè moritura vivat:
Vana dediscens, tibi, Christe, fida
Serviat uni.
Qui pari sese redamant amore,
Summa laus Patri, Genitoque summa;
Laus tibi compar, utriusque Sanctum
Flamen amoris. Amen.

℣. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: Alleluia.

℟. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Alleluia.

Ad Benedictus.

Antiph. Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri. Omnia nobis divinæ virtutis suæ ad vitam et pietatem donata sunt per cognitionem ejus; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. Alleluia.

Digitized by Google

ORATIO.

DEus, qui omnes thesauros sapientiæ et scientiæ, ac vitæ tuæ plenitudinem posuisti in Filio tuo, ut per ipsum, et in ipso vitam habeamus, et abundantius habeamus; concede, quæsumus, ut ejus Spiritu intus renovati, novum hominem induamur, qui secundum te creatus est, in justitiâ et sanctitate veritatis. Per eundem..... in unitate ejusdem.

Et fit Commemoratio Octavæ.

AD PRIMAM.

Ant. Ego sapientia.

In ℟. *br.* ℣. Qui plenus es gratiâ et veritate.

AD TERTIAM.

Ant. In hoc clarificatus est.

Capitulum. *Prov.* 8.

DEliciæ meæ, esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me: Beati, qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

℟. *br.* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; * Alleluia, alleluia. Verbum caro. ℣. Plenum gratiæ et veritatis. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Verbum caro.

℣. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: Alleluia.

℟. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Alleluia.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

Ant. Vos vocatis me.

CAPITULUM. *Prov.* 8.

BEatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem à Domino.

℟. *br.* Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus : * Alleluia, alleluia. Gustate. ℣. Inquirentes Dominum non minuentur omni bono. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Gustate.

℣. Ecce Deus Salvator meus : fiducialiter agam et non timebo : Alleluia.

℟. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Exemplum dedi.

CAPITULUM. *I. Joann.* 5.

SCimus quoniam Filius Dei venit; et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita æterna.

℟. *br.* Ecce Deus Salvator meus : fiducialiter agam, et non timebo, * Alleluia, alleluia. Ecce Deus. ℣. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Ecce Deus.

℣. In me sunt, Deus, vota tua, Alleluia.

℟. Quæ reddam laudationes tibi. Alleluia.

Digitized by Google

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia :

℣. Si quis diligit me, diligam eum, Alleluia.

℟. Et manifestabo ei meipsum. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione meâ. Alleluia, alleluia.

ORATIO.

Deus, qui omnes thesauros, *ut suprà in Laudibus.*

Et fit commemoratio Octavæ.

* *Si in die Octavâ Sacratissimi Cordis occurrat festum I.æ vel II.æ classis, de eo fiet cum commemoratione octavæ. Officium autem de vitâ interiore D. N. J. C. pro illo anno celebrabitur in Dominicâ proximè sequenti, quæ est quarta post Pentecostem.*

Digitized by Google

Die VIII. Junii.

In festo S. MAXIMINI, *primi Aquensium Episcopi.* Duplex.

Omnia de communi Confess. Pontif., præter orationem et lectiones, quæ hîc assignantur.

ORATIO.

DEus, qui Beato Lazaro Christi Discipulo, Beatum Maximinum condiscipulum, peregrinationis socium, et in Evangelio cooperatorem fidelissimum adjunxisti, da nobis famulis tuis, ea quæ docuit, corde credere ad justitiam, ore autem ad salutem confiteri. Per eundem Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

POst sancti Stephani necem, sæviente Judæorum in Christianos persecutione, discipuli omnes in varias mundi partes, ad Christi Evangelium disseminandum dispersi sunt. Hoc omnes in partes verbi Dei divulgandi initium fuit. Nam nisi ab illius cæde, populus Judæorum in discipulos sævisset, forsitan Evangelii gratia in universùm orbem seriùs propagata fuisset. Tunc verò agitati à Judæis, et extremas etiam regiones peragrantes, undique

Digitized by Google

per mysteriorum doctrinam dæmonem exportarunt.

℟. Inveni David.

Lectio v.

HOc modo non solùm Samaria verbum recepit, sed Asia, Africa, et Europa Christum agnovit, et omnes gentes sermo percurrens ad fidem adduxit. Verum majori odio in Lazarum, Maximinum, Magdalenam, Martham, Joseph ab Arimathæa, nobilem decurionem, et quosdam alios quàm in reliquos fideles exarserunt Judæi. Nam Jerosolymis pulsos, navi impositos, sine velo ac remigio, in certum periculum mari crediderunt.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

SAncti tamen hospites ab omnibus periculis incolumes, divinâ dirigente providentiâ, Massiliam feliciter appulerunt; ipsorumque miraculis et prædicatione, primùm Massilienses, mox Aquenses, et finitimæ gentes in Christum crediderunt. Lazarus Massiliensis, Maximinus Aquensis Ecclesiæ Episcopus creatur. Joseph ab Arimathæâ ex Galliâ in Britanniam navigasse Evangelii causâ dicitur. Sanctus ergò Maximinus quadraginta ferè annis Aquensem rexit Ecclesiam, quam vitæ sanctitate, prædicationis et miraculorum luce collustrans, obdormivit in Domino, sexto idus junii.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homil. in Evangelium : Designavit Dominus, *ut in comm. Evangelistarum.*

Digitized by Google

Respons. VII Amavit eum. *VIII* Sint lumbi vestri, *de communi Conf. Pontif.*

Die II. Julii.

In festo VISITATIONIS *B. Mariæ Virginis.* Duplex II.æ Classis.

Officium ut in Brev. Rom. Sed in I. Vesp. fit solùm commem. octavæ S. Joannis Baptistæ. Nona lectio et commem. SS. Processi et Martiniani in laudibus tantùm. In secundis Vesperis fiet comm. de SS. Apostolis, si de ipsis sequenti die recitandum sit officium.

Die XXI. Julii.

In Festo S. VICTORIS *Martyris Massiliensis, et civitatis Massiliæ Patroni : necnon Sociorum ejus Alexandri, Feliciani et Longini Martyrum.* Duplex II.æ Classis.

AD VESPERAS.

Antiphona.

ECce præcipio tibi : Confortare et esto robustus. Noli metuere : Ego ero tecum; detruesque aram Baal.

Ps. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dom. et loco ultimi*, *Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Fide non veritus animositatem Regis, invisibilem tanquam videns sustinuit, et ait Regi : Non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui fecit cœlum et terram.

Digitized by Google

Ant. Tunc Rex accensus irâ in hunc super omnes crudeliùs desævit; indignè ferens se derisum.

Ant. Hoc modo vitâ decessit, universæ genti memoriam mortis suæ, ad exemplum virtutis et fortitudinis, derelinquens.

Ant. Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.

Capitulum. *II. Cor.* 4.

FRatres : Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, suprà modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis; non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt; quæ autem non videntur æterna sunt.

HYMNUS.

VOs, ô Christiadum fortia pectora,
Clarum Massiliæ dicite Militem,
Tinxit qui proprio sanguine, quam sacro
Gestat vertice, lauream.
Victor militiæ præmia respuens,
Christi castra ducis nudus amat sequi:
Ritus sacrilegos, signaque Cæsaris,
Felix transfuga deserit.
Vinctum compedibus turba satellitum,
Necquicquam piceo carcere detinet;
Carcer perpetuis noctibus obsitus,
Tanto lucet ab hospite.
Per noctem, sine vi se reserant fores:
Ut Christum doceat, liber adit suos;
Sub lucem redit ad vincla, volens mori;
Dux facti comes Angelus.

Digitized by Google

Miles Pontificis munere fungitur;
Custodes pavidos crimina dedocet;
Sacris lustrat aquis, et nova pectora
Vero numine consecrat.
Sit laus summa Patri, summaque Filio;
Sit par sancte, tibi gloria, Spiritus,
Cujus præsidio prælia sustinent
Fuso sanguine Martyres. Amen.

℣. Domine, virtus salutis meæ,
℟. Obumbrasti super caput meum in die belli.

Ad Magnificat.

Antiph. Placeo mihi in contumeliis, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cùm autem infirmor, tunc potens sum.

ORATIO.

DEus, pro cujus honore gloriosi Martyres Victor, Alexander, Felicianus et Longinus, multis vexati suppliciis, fortes in fide suâ manserunt; et Deutherius puer, inter effusissimas preces, beato fine quievit; da nobis famulis tuis, ita Sanctorum animari exemplis, ut eorum vestigiis inhærentes, ejusdem gloriæ præmium assequamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Hieronimi Æmiliani, ut in Brev. Rom. ≒ *De S. Praxede Virg. non fit commem., nisi in laudibus tantùm.*

AD MATUTINUM.

INVITAT. Deum fortitudinis, qui in militibus suis pugnat et vincit, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Digitized by Google

HYMNUS.

I Nunc, sancte Pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant præmia militem.
Præsens Christus adest; hoc duce ferreas
Vinces carnificum manus.
Urbem per mediam victima nobilis
Raptaris, lacero corpore pulchrior,
Dum discerpta trahit membra ferox equus,
Cœlum mente præoccupas.
Quo te cumque furor Barbarus abripit,
Fusus vulneribus signat iter cruor;
Quo sparso, veluti semine, lætior
Surgit Christiadum seges.
Dum te lenta secant verbera pendulum,
Longâ perfrueris supplicii morâ:
Affixusque Cruci, nobilis æmulus,
Christum, quà licet, exprimis.
Aras ante jovis, non malè pertinax
Victor thura negat; sacrilegam pede
Deturbat statuam; nec metuit gravem
Vano fulmine dexteram.
Plebs irata pedem militis amputat;
Sed non ille gravi vulnere tardior,
Ad mortem properat, certaque præmia,
Vitam fundere prodigus.
Sit laus summa Patri, summaque Filio,
Sit par sancte, tibi gloria, Spiritus,
Cujus præsidio prælia sustinent
Fuso sanguine Martyres. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Fortitudo mea et laus mea Dominus; et factus est mihi in salutem.

Psalmi

Digitized by Google

Psalmi nocturnorum de communi plurimorum Martyrum.

Ant. Qui timet Dominum nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus.

Ant. Ego ad Dominum aspiciam : expectabo Deum Salvatorem meum.

℣. Si consistant adversùm me castra,

℟. Non timebit cor meum.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. 8.

FRatres, Debitores sumus , non carni, ut secundùm carnem vivamus. Si enim secundùm carnem vixeritis , moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

℟. Sapientia intravit in animam servi Dei, et stetit contrà reges horrendos in portentis et signis ; * Magis eligens affligi cum populo Dei quàm temporalis peccati habere jucunditatem. ℣. Non audiemus, inquit, verba regis, nec sacrificabimus , transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus alterâ viâ. Magis eligens.

Digitized by Google

Lectio ij.

SCimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contrà nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quòmodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat; quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immò qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

℣. Descendit Sapientia cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit illum; * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam : Glorià et honore coronavit eum Dominus. Et dedit illi.

Lectio iij.

QUis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis). Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, néque virtutes,

Digitized by Google

neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

℟. In ipsâ nocte erat vinctus catenis; et custodes antè ostium custodiebant carcerem. * Et ecce Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo. ℣ Flectebat genua sua et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut facere consueverat. Et ecce. Gloria Patri. Et ecce.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Omnis qui te colit, Domine, vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.

Ant. Usque in tempus sustinebit patiens, et posteà redditio jucunditatis.

Ant. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

℣. Cantabo, Domine, fortitudinem tuam:

℟. Et exaltabo manè misericordiam tuam.

Lectio iv.

Ex Martyrologio Romano, B. Adone, et aliis.

SÆviente in Ecclesiam Diocletiani et Maximiani persecutione horrendâ, Christiani quidam milites, ne in cæteros Christianos pugnare cogerentur, Romanæ militiæ cingulum deposuerunt. Inter quos potissimùm eminuit Victor Massiliâ oriundus, qui à Romano se subducens exercitu, nunquàm tamen Dei exercituum nomen, militiamque reliquit. Sub idem tempus arma resumere, et Idolis immo-

Digitized by Google

lare ab Asterio Tribuno sollicitatur. Ille verò promissis minisque invictus, ac Christum verbis, vultuque gerens, et militare, et sacrificare constantissimè recusavit. Quare ab eodem Tribuno, in teterrimum carcerem detruditur, ubi inter vincula nequaquàm filiorum Dei amittens libertatem, milites quoque suæ custodiæ deputatos, à dæmonum servitute liberavit, et Christianos commilitones fecit. Sequenti autem nocte educitur ab Angelo, ut clàm visitaret, et consolaretur infirmos. Sed ultrò reversus ad carcerem, totis visceribus ad Martyrium anhelabat.

℟. Ceperunt me inimici mei gratis : dixi, Perii, vocem meam, Domine, audisti. * Dixisti : ne timeas. Judicasti causam animæ meæ, Redemptor vitæ meæ. ℣. Ego non solùm alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu. Dixisti.

Lectio v.

EA custodum conversione, et hujusmodi signis Eutychius Præfectus admonitus, Victorem è carcere præcipit accersiri : et ejusdem mandato, retortis brachiis, loris subtilibus ligatus, pedibusque fune constrictus, per mediam trahitur Civitatem, admirabilis Christianis, et terribilis Ethnicis. Post hæc fustibus crudelissimè cæditur, taureis vexatur, in equuleo suspenditur, et inter supplicia fortior efficitur. His ita se habentibus, exhibetur illi ara, ut sacrificaret : et ille religiosam oculorum puritatem ne aræ quidem aspectu modicùm fœdare volens, ipsam de manu sacerdotis, calce excussit. Quamobrem tàm pretiosum pedem ei Præses jussit

Digitized by Google

incîdi, quo se Deosque suos proculari sentiebat. Ad ultimum in confessione persistens, missus est in molam pistoriam, in qua tanquàm purum Christi frumentum contritus est, et cùm ita extingui non potuisset, capitis abscissione martyrium consummavit.

℟. Factus es mihi adjutor, Domine, et liberasti me * A rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum quæ circumdederunt me. ℣. Dominus mihi adstitit, et confortavit me; et liberatus sum de ore leonis. A rugientibus.

Lectio vi.

EGregius Victor, qui, uti prædiximus, Custodes suos vicerat in carcere, Alexandrum, Felicianum, et Longinum, eosdem habuit Martyrii socios, et fortitudinis æmulos. Cùm enim intempestæ noctis silentio, Angelicis luminibus obstupefacti, et Victoris sermonibus animati, ad Christum, qui lux, et vita est, respexissent; sequenti die, illum pro præmio consecuti sunt, quem pro Deo paulò ante agnoverant: atque ità Sancto Victori felici martyrio præcucurrerunt. Eodem die Deutherius puer ad illius sepulchrum orans, in ipso orationis impetu innocentem animam efflavit, et ei corpore consepultus est, cujus charitatis spiritum infans viriliter hauserat. Imitemur quoque nos beatissimi Victoris, Sociorumque pietatem et constantiam. Quòd si martyrii sustinendi occasiones non suppetunt, saltem humanæ vitæ quotidiana mala tolerare non renuamus.

Digitized by Google

℣. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine : * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℟. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes. Gloria Patri. Ut hæredes.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

Ant. Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Ant. In mundo pressuram habebitis : sed confidite ; ego vici mundum.

℟. Adjutor meus, tibi psallam :

℣. Quia Deus susceptor meus es.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore : Dixit Jesus Discipulis suis : Cùm audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primùm hæc fieri ; sed nondùm statim finis. Et reliqua.

Lectio vij. Cap. 21.

Homilia S. Augustini Episcopi.

In Natali Martyrum ; Serm. 334 *de Sanctis ; aliàs* 48.

OMnium quidem bonorum fidelium Christianorum, maximè tamen gloriosorum Martyrum, est vox ista : *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Fremebat mundus adversùs eos : *Populi meditabantur inania ; Principes conveniebant in unum ;* excogitabantur novi cruciatus, et pœnas incredibiles inveniebat ingeniosa crudelitas. Obruebantur opprobriis ; falsis arguebantur criminibus ; custodiis intolerabilibus

Digitized by Google

includebantur; ungulis exarabantur; ferro perimebantur; bestiis subigebantur; ignibus cremabantur, et dicebant Martyres Christi : *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Totus mundus contrà vos, et dicitis : *Quis contrà nos?* Respondent tibi : Et quis est totus mundus, quando pro eo morimur per quem factus est mundus?..... Sævire possunt, maledicere possunt, calumniari possunt, falsis opprobriis agitare possunt, postremò possunt, non solùm corpus perimere, sed etiam dilaniare : et quid facient? *Ecce enim Deus auxiliator mihi est, et Dominus susceptor est animæ meæ.* Mundus interfector corporis mei; *Dominus susceptor est animæ meæ.....* Quando autem *Dominus est susceptor animæ meæ*, erit et restitutor corporis mei.

℟. Tanquàm aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos : et in tempore erit respectus illorum. * Quoniam donum et pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam.

Lectio viij.

QUid mihi deerit; si membra mea dilaceret inimicus, quando capillos meos Deus dinumerat? Exhortans Martyres suos Christus, ne ab inimicis persecutoribus aliquid formidarent : *Capilli*, inquit, *vestri omnes numerati sunt.* Quid ergo timebo damna membrorum, quando securitatem accipio de numero capillorum? Ergo dicamus ex fide, dicamus in spe, dicamus flagrantissimâ charitate : *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?*.....

Digitized by Google

Hoc quod sequitur, cùm Apostolus legeretur, audistis. Cùm enim dixisset : *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* tanquàm ei diceretur : Proba, quia Deus pro vobis; continuò attulit grande documentum ; continuò introduxit Martyrem Martyrum, Testem Testium ; illum, scilicet, cui *proprio Filio Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hinc probavit Apostolus verè se dixisse, *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* Quando *proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?*..... Terret te fremitus mundi, cui donatus est artifex mundi? Christum nobis donatum esse gaudeamus, et nullos Christi inimicos in hoc sæculo timeamus.

℟. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit non lædetur à morte secundâ. ℣. Usque ad mortem certa pro justitiâ, et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Qui vicerit. Gloria Patri. Qui vicerit.

Nona Lectio erit de S. Praxede Virgine, ut in Breviario Romano.

AD LAUDES.

Antiphona.

POsuit eum Rex super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi. In omnibus viis suis prudenter agebat, et Dominus erat cum eo.

Ant. Singulos sociorum armavit, non clypei et hastæ munitione, sed sermonibus optimis.

Ant. Dedit illis legem, ne obliviscerentur

Digitized by Google

præcepta Domini, videntes simulachra aurea et argentea.

Ant. His verbis constantes effecti sunt, et pro legibus mori parati : tradiderunt corpora sua, ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.

Ant. Probasti nos, Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum : transivimus per ignem et aquam; et eduxisti nos in refrigerium.

CAPITULUM. *Jac.* 1.

OMne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis; scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet.

HYMNUS.

TEmpla solemnem resonent triumphum.
Hæc dies longi pretium laboris,
Strenuum Christi pugilem supremas
Vexit ad arces.

Dum terit sacros mola grandis artus,
Rumpitur venis cruor è profundis;
Tùm cruentatæ caput immolandum
Devovet aræ.

Vindices æther jaculatus ignes,
Machinam solvit; tremuere turbæ;
Nil tremens unus, pia colla Victor
Subjicit ensi.

Mox triumphali petit astra curru,
Splendido frontem redimitus auro;
Compedes, virgæ, mola, crux, securis,
Pompa triumphi.

Digitized by Google

Non tamen solus petis astra; tecum
Dividunt palmam comites, et ornant;
Pugna quos junxit socios, coronat
Gloria cœlo.

Membra dispergunt lacerata ponto;
Constitit pontus, venerantis instar,
Atque Phocenses, ubi templa surgunt,
Sistit ad oras.

Victor, exemplis animosiores
Fac tuis nostras sociare palmas;
Et, quibus Christi superemus hostes,
Arma ministra.

Laus tibi, summi moderator orbis,
Præmiis duros recreans labores,
Quem fides veri studiosa, trinum
Credit et unum. Amen.

℣. Salvasti nos, Domine, de affligentibus nos;

℟. Et in nomine tuo confitebimur in sæculum.

Ad Benedictus.

Antiph. Vicerunt propter sanguinem Agni, et propter verbum testimonii sui. Modico dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt.

ORATIO.

DEus, pro cujus honore gloriosi Martyres Victor, Alexander, Felicianus, et Longinus, multis vexati suppliciis, fortes in fide suâ manserunt; et Deutherius puer, inter effusissimas preces, beato fine quievit; da nobis famulis tuis, ita Sanctorum animari exemplis, ut eorum vestigiis inhærentes, ejusdem gloriæ præmium assequamur. Per Dominum.

Digitized by Google

Et fit commem. S. Praxedis Virg., ut in Brev. Rom.

AD TERTIAM.

Ant. Singulos.

CAPITULUM. *Hebr.* 11.

SAncti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

℟. *br.* Dominus illuminatio mea et salus mea. * Quem timebo? Dominus illuminatio. ℣. Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Quem timebo? Gloria Patri. Dominus.

℣. Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum:

℟. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.

AD SEXTAM.

Ant. Dedit illis.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 1.

PAtior, sed non confundor: scio enim cui credidi; et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.

℟. *br.* Si consistant adversùm me castra, * Non timebit cor meum. Si consistant. ℣. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Non timebit. Gloria Patri. Si consistant.

℣. Fortitudo mea et laus mea Dominus:

℟. Et factus est mihi in salutem.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Probasti nos.

CAPITULUM. *Tob.* 3.

POst tempestatem tranquillum facis, Domine: et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in sæcula.

℟. *br.* Fortitudo mea * Et laus mea Dominus. Fortitudo. ℣. Et factus est mihi in salutem. Et laus. Gloria Patri. Fortitudo.

℣. Dominus mihi adjutor:

℟. Non timebo quid faciat mihi homo.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Ecce præcipio, *ut in primis. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliquis; et loco ultimi, Psalm.* Credidi propter.

A Capitulo fit de S. Mariâ Magdalenâ, ut in Breviario; Et pro commem. SS. Victoris et Soc. dicitur sequens

Antiph. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant Victores captâ prædâ, quando dividunt spolia.

℣. Redempti à Domino venient in Sion cum laude:

℟. Lætitia sempiterna super caput eorum.

ORATIO.

Deus, pro cujus honore, *ut suprà in laudibus.*

Die

Digitized by Google

Die XXII. Julii.

In Festo S. MARIÆ MAGDALENÆ, *Sororis S. Lazari.* Duplex II. Classis.

Omnia ut in Breviario Rom. In secundis vesperis fit commem. S. Joannis Cassiani Abbatis; et S. Liborii Episcopi et Confessoris. ℣. Justum deduxit Dominus, etc.

Die XXIII. Julii.

In Festo S. JOANNIS CASSIANI, *Abbatis.* Duplex.

Omnia de communi Confess. non Pontif. præter ea quæ sequuntur. Oratio, Intercessio nos, quæsumus, etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEatus Joannes Cassianus, cognomento Collator, Scythiâ ortus est. Primam juventutem in Bethlehem Monasterio transegit, ubi altas simplicitatis pueri Jesu divitias hausit. At cùm diuturnâ fidelitate, et assiduis pietatis officiis, virtus ejus maturuisset, et inter perfectionis incrementa, majus perfectionis desiderium accenderetur, ad remotiores

Digitized by Google

Ægypti, Thebaïdosque Monachos, cum amico Germano profectus est. Obstupuit uterque invenisse viros, quorum tantùm conversatio erat in Cœlis, et qui ab hominibus sæculi, planè locis, moribusque sejuncti, Deo arctissimè inhærebant. Duxerunt unà cum illis septem annos integros, et ipsorum imitatione, in singulis virtutibus consummati sunt. Verùm, omnia pro Deo relinquere optimè edocti, locum sanctissimum, sociosque sanctissimos reliquerunt, ut ad seniores redirent, quibus se redituros esse promiserant; plùs in hoc promerentes obedientiâ, quàm diuturniori in solitudine pœnitentiâ.

℣. Honestum fecit.

Lectio v.

INterjecto deinde aliquo tempore, Beatus Cassianus, ut solitudinis fructus in mundum diffunderet, et ad absconditam Christi vitam adjungeret etiam Evangelicam, Constantinopolim discessit, cujus tunc Ecclesiæ præerat Divus Chrysostomus. Multos certè solitarios in uno Chrysostomo invenit Cassianus; et in mediis mundi honoribus, mundi despectorem ac inimicum, qui à dignitate suâ ne leviter quidem delibatâ virtute, suam potiùs in se sanctificaret dignitatem. Efficitur ergò tanti Præsulis Diaconus, tanti Magistri Discipulus; et ad ultimum, atrocissimam persecutionem sustinentis, fidelis et invictus amicus: ita ut ab eo ad Innocentium Summum Pontificem Legatus, ejus causam acerrimè propugnaverit. Mortuo Chrysostomo, in Ægyptum abiit: atque inibi, ex solitariorum exemplis et disciplinâ, libros collationum inclytos collegit,

Digitized by Google

in quibus spiritualis vitæ scholam, toti orbi Christiano excitavit, undè *Collator* est nuncupatus. Harum lectionem Beatus Benedictus in regulâ effusissimè commendavit; et omnes pietatis Antistites illas coluerunt, aliisque legendas proposuerunt. Verùm non minùs doctrinâ quàm sanctitate præcellens, ad petitionem Leonis, qui post Sixtum summus Pontifex creatus est, libros de Verbi incarnatione conscripsit, quibus Nestorium, cæterosque hujuscemodi hæreticos, validissimè refellit, ardens et lucens.

℣. Amavit eum.

Lectio vj.

TAntis onustus meritis, et tantis ornatus virtutibus, nondùm erat sacerdos Cassianus. Multis ergò laboribus procellisque superatis, Massiliam, velut in tranquillum portum, se recipiens, Presbyter factus est. Primus Monachos in Galliam introduxisse legitur, et divisorum hinc indè quinque millium pater extitit, et exemplum. Ille verò, Abbas Sancti Victoris Massiliæ permansit, cujus Monasterium, cum fœminarum altero, in eâdem urbe fundavit. Tandem, post multa, præclaraque sanctitatis testimonia, finem vivendi fecit, Theodosio juniore et Valentiniano regnantibus, et apud Sanctum Victorem sepultus est. Utinàm nos, egregii viri, ex ultimis scythiæ finibus ad nos divinitùs missi, succendat devotio, et vera sanctificet imitatio! Non enim meliùs Sancti, quàm imitando, honorantur.

℣. Iste homo perfecit.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus omnia, etc. *ut in Communi Abbatum. In Laud. comm. S. Liborii Episc. et Conf.* ℣. Amavit eum Dominus.

In secundis vesp. à Capit. fit de S. Apollinari, Episc. et Mart. cum Commem. S. Cassiani, et S. Christinæ, Virg. et Mart.

Die XXIV. Julii.

Fit Officium S. Apollinaris, Episc. et Mart., ut in Breviario Romano, die 23. ejusdem mensis Julii. Nona lectio de Homiliâ vigiliæ, ejusque commem., ac S. Christinæ. in laudibus.

Die XXIX. Julii.

In Festo S. MARTHÆ, *Virginis, Sororis S. Lazari.* Duplex II. Classis.

Totum Officium ut in Breviario Romano, præter lect. I. Noct. quæ dicuntur de Communi Virg. De Virginibus præceptum, etc. *In laudibus tantùm fit commem. SS. Martyrum Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis. In secundis vesp. fit commem. SS. Abdon, et Sennen, Martyrum.*

Digitized by Google

Die II. Augusti.

In festo B. ALPHONSI *Mariæ de Ligorio, Episc. et Conf.* Duplex. *Omnia de comm. Conf. Pontif. præter sequentia:*

In secundis Vesp. S. Petri ad Vincula, pro commem. B. Alphonsi, Ant. Sacerdos et Pontifex; *Vers.* Amavit eum.

ORATIO.

DEus, qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem, animarum zelo succensum, Ecclesiam tuam novâ prole fœcundasti, quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum, etc.

Deindè fit commemor. S. Stephani, Papæ et Martyris.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ALphonsus Maria de Ligorio, Neapoli nobilibus Parentibus natus, ab ineunte ætate non obscura præbuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cùm Parentes obtulissent B. Francisco de Hieronymo è Societate Jesu; is benè precatus edixit, eundem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Epis-

Digitized by Google

copalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiæ bono futurum. Jam tùm à pueritiâ à ludis abhorrens, nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis ægrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeò conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patriâ universitate fuerit assequutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit; in quo munere obeundo, etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitæ institutum ultrò dimisit. Spreto igitur præclaro conjugio sibi à Patre proposito, avitâ primogenitură abdicatâ, et ad Aram Virginis de Mercede ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum præsertim, et ruricolarum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit Sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

℟. Inveni David.

Lectio v.

NE autem à proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tùm divini verbi prædicatione, tùm scriptis sacrâ eruditione, et pietate refertis, animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem

Digitized by Google

vitam adducere studuit. Mirum sanè quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventiùs concionando disserit, à Virginis imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicæ Passionis, et sacræ Eucharistiæ contemplator assiduus, ejus cultum mirificè propagavit. Dum verò ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquàm omisit, præ amoris vehementiâ, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur à sensibus. Miram vitæ innocentiam, quam nullâ umquam lethali labe fœdavit, pari cum pœnitentiâ socians, corpus suum inediâ, ferreis catenis, ciliciis, cruentâque flagellatione castigabat. Inter hæc prophetiæ, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vj.

AB Ecclesiasticis Dignitatibus sibi oblatis constantissimè abhorruit. At Clementis decimi tertii Pontificis auctoritate coactus S. Agathæ Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianæ disciplinæ zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiæ proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonæ

Digitized by Google

caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suæque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, à quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demùm quamvis senio, laboribusque, diuturnâ arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior, de cœlestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquàm adhibuit; donec nonagenarius, kalendis Augusti, anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo, Nuceriæ Paganorum, inter suorum Alumnorum lacrymas placidissimè expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, PIUS SEPTIMUS Pontifex Maximus, anno millesimo octingentesimo decimo sexto, Beatorum fastis adscripsit.

℟. Iste est qui antè.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Designavit Dominus, *de comm. Evangelistarum. Resp. VII* Amavit eum. *VIII* Sint lumbi vestri.

Nona lectio, (ex duabus una fit), de S. Stephano, Papa et Mart., ejusque commem. in laudibus.

Digitized by Google

Die IX. Augusti.

In festo S. SERENI, *Episcopi Massiliensis.* Duplex majus.

(Hac die fix. ex decreto Ill. et Rev. D.D. Episcopi, sub datâ 10. *Augusti* 1824.*)*

Omnia ut in comm. Confess. Pontif. præter sequentia:

ORATIO.

DOmine Deus noster, qui Beatum Serenum Confessorem tuum atque Pontificem, pastorali sollicitudine gloriosum effecisti, et variis miraculis decorasti, te supplices exoramus, ut cujus hodiè merita recolimus, à cunctis malis imminentibus, ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

Deinde fit commemor. SS. Cyriaci et Soc. Martyrum; item S. Romani Martyris; ut in Brev. Rom.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

SErenus, vir omni virtutum genere instructus, Romæ à Sancto Gregorio Magno Episcopus Massiliensis consecratus, Ecclesiam sibi commissam summo studio, et labore administravit, zelo gloriæ Dei, et salutis animarum

Digitized by Google

succensus. Idem Pontifex ad eum Litteras scripsit, quibus ejus charitati Augustinum et socios Monachos, in Angliam à se missos, commendat. Ob quædam Ecclesiæ suæ componenda negotia Romam repetens, ab eodem Sancto Gregorio benignè exceptus est. Tùm Massiliam rediens, Blanderati, Diœcesis Vercellensis, in cœnobio Monachorum sancti Benedicti extrà oppidum olim extructo, gravi morbo correptus sanctissimè obiit, anno salutis sexcentesimo quarto. Ejus corpus in eodem cœnobio à præfatis Monachis honorificè sepultum est.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

Lectio v.

EVerso funditùs ab hostibus monasterio, atque in agrum converso, cùm Sancti Sereni sepulchrum per sexcentos annos ignotum fuisset, divinitùs posteà revelatum est. Dum enim arator quidam geminas boves ad agrum illum arandum duceret, boves illæ, quasi essent ratione præditæ, repentè in genua procumbere, et sacrum corpus in terræ visceribus conditum venerari visæ sunt ; nullisque stimulis et repetitis ictibus removeri potuerunt. Hujus rei, miraculi famâ, admoniti finitimi populi, tùm etiam nocturnis splendoribus atque Angelicis concentibus persuasi, sacrum aliquod pignus in eâ parte agri ubi boves prostratæ permanserant latere non dubitaverunt. Defossâ humo lapideum sepulchrum repertum est, cui nomen Sereni Episcopi

Digitized by Google

Massiliensis insculptum erat : in sepulchro sacrum corpus integrè suis ossibus constans; instrumentum quo fides fiebat has esse veneras Sereni reliquias; tùm etiam duæ Epistolæ sancti Gregorii Papæ, quæ etiamnùm Blanderati, illæsæ, suisque sigillis munitæ, asservantur.

℣. Posui adjutorium super potentem et exaltavi electum de plebe meâ : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim.

Lectio vj.

CUm autem inter Blanderati et Casalis Bertrami cives gravis orta esset controversia, utrisque sacrum corpus sibi adjudicari postulantibus; lis divino judicio dirempta est. Sacrum enim corpus plaustro novo, communi consensu, impositum, duæ juvencæ sibi permissæ ad fores Templi sancti Columbani Blanderatensis duxerunt; ibique stantes, repetitis mugitibus, ubi sacræ Reliquiæ essent reponendæ locum designarunt. Depositum igitur ibi in celebri Sacello atque in arcâ auro et crystallo exornatâ collocatum, sancti Sereni corpus miraculis illustrari cœpit; dùm multi infirmi insanabilibus morbis laborantes sanitatem impetrarunt. Inter quæ valdè illud notandum, quòd anno millesimo sexcentesimo trigesimo, horrendâ circùm ubique grassante peste, Blanderati et Gargareni incolæ cùm Sancti Sereni reliquias, indictâ publicâ supplicatione, circùmtulissent, incolumes servati sunt. Quarè Serenum in specialem votorum suorum Patronum elegerunt; atque ex eo

Digitized by Google

tempore memoria ejus, ingenti pompâ, magnoque populi concursu, die secundâ mensis Augusti, quotannis Blanderati celebratur.

℣. Iste est qui antè Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrinâ ejus repleta est; * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homiliâ in Evangelium, Vigilate, *de communi* 2. *loco. sed* 9. *lectio erit de Vigiliâ S. Laurentii; de qua fiet commem. et S. Romani, in laudibus.* ≔ *Vesp. de sequenti, cum commem. S. Sereni.*

Die XVI. Augusti.

In festo S. ROCHI, *Confessoris.* Duplex majus.

Omnia de communi Confess. non Pontif., præter orationem et lectiones, quæ hic sunt assignatæ.

ORATIO.

DA quæsumus, Domine, piæ petitionis effectum; et intercessione beati Rochi Confessoris tui pestilentiam à populo tuo propitiatus averte; ut mortalium corda cognoscant, te indignante talia flagella prodire, te miserante cessare. Per Dominum.

IN

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Lectiones erunt de Script. occurrente, secundùm ordinem feriæ; id est, de libro Ecclesiastæ, vel de libro Sapientiæ, juxtà Rubr. Brev., quæ posita est antè Dominicam tertiam Augusti.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

ROchus, urbe Montepessulanâ, in Gallià Narbonensi, equestri genere oriundus, parentibus vitâ functis, à quibus piè semper fuerat institutus, profectionem Romanam; religionis ergò, ac studio sanctorum Apostolorum, Martyrumque venerandi reliquias suscepit; cùm priùs oppida paterna patruo commisisset, reliquas autem facultates, Christi consilium secutus, pauperibus erogasset. Iter ingressus, in hospitales domos divertebat, et, quod unum inter alia in mandatis à pio patre morituro acceperat, pauperes et ægros, quacumque poterat ratione atque subsidio, solabatur.

℣. Honestum fecit.

Lectio v.

PEste igitur in Italiâ tunc graviter sæviente, præclaram nactus exercendæ charitatis oportunitatem, strenuam in juvandis ac sanandis iis, quos lues infecerat, operam navare cœpit: eorumque plurimis, signo Crucis valetudinem restituit. Quin etiam, illius assiduis precibus, Aquapendens, Cesenna, Ariminum, aliæque Urbes Italiæ à contagione liberatæ sunt. Ejus porrò merita etiam augere

Digitized by Google

Deus voluit, dùm eâdem peste, à quâ tam multos liberaverat, Placentiæ correptus est. Quam ob causam Urbe egressus, in proximam sylvam se recepit, ubi fons divinâ voluntate ad languentis preces exiliens, vehementem febris illius ardorem temperavit.

℟. Amavit eum.

Lectio vj.

E Vicinâ quoque domo, pii cujusdam viri canis domesticus, raptum è mensa panis frustum quotidie beato Rocho deferebat, quo vesceretur, non sine Dei nutu, qui quondam corvi ministerio etiam Paulum Eremitam in solitudine aluerat. Sanitatem verò divinitùs adeptus, in Galliam vexatam bellis reverti parat. Sed velut explorator comprehensus, in carcerem conjicitur; ubi quinquennium malè tractatus, cum summâ patientiâ, et jugi meditatione passionis Christi, excessit è vivis, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, ætatis suæ trigesimo secundo, decimo sexto kalendas Septembris. Ejus viventis sanctitatem, et defuncti gloriam crebra testantur miracula, maximè ad depellendam pestis contagionem: in quo genere illius præsens auxilium innumeri sibi frequenter adesse senserunt. Constantiæ quoque in Germania, cum illic generale Concilium haberetur, eidem, honores Sanctis debiti, sunt impensi, et inde sumpto exemplo, ubique locorum, atque adeò Romæ, summo Pontifice consentiente, in ejus honorem altaria, sacella, templaque Deo sunt consecrata.

℟. Iste homo.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli et Terræ; quia abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus; et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Serm. 10. *de Verbis Domini.*

VEnite ad me omnes, qui laboratis. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, fragiles, infirmi, lutea vasa portantes, quæ faciunt invicem angustias? Sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia charitatis. Quid ergo dicit, *venite ad me omnes, qui laboratis*, nisi ut non laboretis? Denique promissio ejus in promptu est, quoniam laborantes vocavit. Quærent fortè, quâ mercede vocati sunt. *Et ego vos*, inquit, *reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite à me*, non mundum fabricare, non cuncta visibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare; sed, *Quoniam mitis sum, et humilis corde.*

℟. Iste est qui.

Lectio viij.

MAgnus esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis. Et quantam quisque vult et disponit superimponere molem ædificii; quantò erit majus ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Et fabrica quidem cùm construitur, in

Digitized by Google

superna consurgit ; qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur. Ergo, et fabrica ante celsitudinem humiliatur, et fastigium post humiliationem erigitur.

℣. Sint lumbi vestri.

Lectio ix.

QUod est fastigium construendæ fabricæ quam molimur ? Quò perventurum est cacumen ædificii ? Citò dico, usque ad conspectum Dei. Videtis quàm excelsum est, quanta res est conspicere Deum. Qui desiderat, et quod dico, et quod audit intelligit. Promittitur nobis conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, videntem videre. Nam qui colunt falsos Deos, facilè illos vident. Sed eos vident, qui oculos habent, et non vident. Nobis autem promittitur visio Dei viventis et videntis.

Te Deum laudamus.

Die XIX. Augusti.

In festo S. LUDOVICI *Episcopi Tolosani.* Duplex.

Omnia ut in communi Confess. Pontif. præter lectiones II. Nocturni, et Orationem.

ORATIO.

DEus, qui dispositione mirabili, Ecclesiam tuam novis semper splendoribus illustras ; tribue, quæsumus, ut qui Beati Ludovici Confessoris tui atque Pontificis solemnia ce-

Digitized by Google

lebramus, ejus quoque consortes effici mereamur. Per Dominum.

Et fit commemoratio Octavæ Assumptionis B. Mariæ Virginis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

BEatus Ludovicus, Episcopus Tolosanus, sancti Ludovici Francorum Regis nepos, Carolo secundo, Neapolis et Siciliæ Rege, nec non Mariâ Regis Hungariæ filiâ parentibus ortus est, et Brincolæ in Gallo-Provinciâ natus. Regiam ille, et ex paterno maternoque tot sanctorum Principum genere velut domesticam sanctitatem, ab ipsâ pueritiâ ostendit. Tantùm valent præclara hæreditariæ pietatis exempla! Et quoniam inter humanas calamitates major assurgit verè Christianorum felicitas: et tribulationes sanctitatis incrementa sunt; Pater ejus, in bello quod cum Petro Aragoniæ Rege gestum fuerat, captus, tres filios pro suâ liberatione obsides tradere coactus est. Ludovicus hanc septem annorum detentionem constantissimè toleravit, magis ipse detentus et possessus à Christo. Sed ut perfectiùs Jesum Crucifixum cognosceret scientiâ, quem jam imitabatur patientiâ, mutato in scholam carcere, litteris et Theologiæ operam dedit: atque oratione illustrante doctrinam, brevi doctissimus evasit. Itaque Ludovicus, et mirabili scientiâ refulD d 3

sit, et scientiam virtute superavit. Præ cæteris verò, quamvis esset eleganti formâ, et decoro admodum vultu, castitatem tàm impensè coluit, ut numquàm mulierem incomitatus alloqui visus sit : et post septem annos reversus in curiam, nec Matris quidem excipientis osculum sustinere voluit. Adjecit et flagella ærea, nodosoque fune teneram carnem constrinxit; ut corpus in servitutem redigens, liberum et hilarem Deo spiritum conservaret : et Christum in se regnantem, probè subjectus experiretur.

℟. Inveni David.

Lectio v.

ITà, sui Dominus effectus, speciosam regnandi servitutem contempsit, et juribus regni major natu renunciavit. Sacerdos igitur fit; et pro populo maluit sacrificare, quàm populo imperare; tanti habens insuper characteris sanctitatem, ut se quotidianâ confessione mundaret. Christo confixus erat Cruci: et ut internum animi sensum habitu precantis exprimeret, nullus præteribat dies quin coram Salvatoris Crucifixi imagine, expansis brachiis oraret. Visitabat ægrotos; pascebat famelicos; vestiebat nudos; lavabat pauperum pedes, et osculis cohonestabat. Sed in leprosos potissimùm magnâ miseratione commovebatur, et illis accuratè ministrabat : ità ut Christo quâdam die, sub leprosi specie, inter pauperes apparenti, plagas abstersisse creditus sit. Per tot ac tanta charitatis opera, ad Episcopalis charitatis culmen ascendit, et in Episcopum Tolosanum electus est. Non hanc tamen dignitatem priùs accipere consen-

Digitized by Google

sit, quàm se Sancti Francisci Religioni nuncupato voto mancipasset, ad quam hactenùs admitti prohibitus fuerat. Minor cum esset Sancti Francisci, tunc Episcopatum, quasi ex obedientiâ suscepit, et per humilitatem fratris, ad summam Pastoris dignitatem evectus est.

℣. Posui adjutorium.

Lectio vj.

QUæcumque misericordiæ opera edebat privatus, non dereliquit Episcopus : et pauperibus, qui apud se epulabantur, propriâ manu servire honorificum duxit. Regebat ut Episcopus, vivebat ut Religiosus : et sæcularem præsulum exosus pompam, non aliam amavit magnificentiam, quàm omnibus benefacere, et omnium necessitatibus sollicitè providere. Mitis erat in bonos; severus in malos; et utrorumque pius ac prudens Pastor. Verùm, cùm Deum super omnia diligeret, ei soli super omnia vacare constituit. Itaque Romam profectus est, abdicaturus Pastoris formidandum onus, ut sic et Regnum, et mundum, et Episcopatum pro Christo posset relinquere. Sed cùm iter faciendo Brincolam patriam suam pervenisset, in gravissimum morbum incidit, qui tantum amoris holocaustum consumpsit. Nam è lecto prostratus in terram, cùm sacram Eucharistiam sumpsisset, tandem inter orationes beatum spiritum Deo reddidit : et ut in sinu charissimæ Religionis requiesceret, apud Massiliæ fratres Minores, sicuti mandaverat, sepultus est.

℣. Iste est qui.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homil. in Evangelium : Homo peregrè proficiscens.

In Laudibus fit comm. octavæ Assumpt. B. Mariæ Virginis. = *In 2. Vesp. à cap. de S. Bernardo Abb., cum comm. S. Ludovici, et Oct.*

Die XXVI. Augusti.

Fit Officium S. Hyacinthi Confessoris.

Omnia ut in Brev. Rom. (16 Aug.) omissis commemorationibus octavar. Assumptionis et S. Laurentii. Sed in I. Vesp., quæ erunt II. de S. Ludovico, fit commem. S. Hyacinthi Conf. et S. Zephyrini, Papæ et Mart. De S. Zephyrino recitatur Lectio IX. ad Matut. et fit comm. in Laudibus. In II. Vesp. A capit. fit de S. Josepho Calasanctio, cum comm. S. Hyacinthi.

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO MENSE JUNIO.

AD VESPERAS.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Eccli. 24.*

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

Digitized by Google

HYMNUS.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contrà hostes tuos.

Ad Magnificat.

Antiph. Beata Mater et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Sancta Maria, Dei genitrix Virgo, * Intercede pro nobis.
Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant;
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia,
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
Cujus, supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu;
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Antiphonæ, psalmi et versus nocturnorum, ut in officio parvo.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurente.

1. ℟. Erat Virgo desponsata viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et * Nomen

Digitized by Google

Virginis Maria. ℣. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti, posuisti nomen ejus. * Nomen.

II. ℟. Benedicam ei, et ex illâ dabo Filium cui benedicturus sum. * Constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et regnabit in domo Jacob in æternum. * Constituam.

III. ℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi, de Symbolo ad Catechumenos.

Lectio iv. Lib. I. Cap. III.

ISte nempè Filius unicus Dei Patris omnipotentis, videamus quid fecit propter nos, quid passus est propter nos? *Natus est de Spiritu sancto et Mariâ Virgine.* Ille Deus tantus æqualis Patri, *natus de Spiritu sancto et Virgine Mariâ*; humilis, unde sanaret superbos. Exaltavit se homo, et cecidit. Humiliavit se Deus, et (illum) erexit..... Nos cadimus; ille descendit. Nos jacebamus; ille se inclinavit. Prendamus et surgamus, ut non in pœnam cadamus. Ergo inclinatio ipsius hæc est; *Natus est de Spiritu sancto et Virgine Mariâ.* Et ipsa humana nativitas, humilis et excelsa. Unde humilis? Quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsa? Quia de Vir-

Digitized by Google

gine. Virgo concepit, Virgo peperit; et post partum Virgo permansit.

℟. Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam * Ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. ℣. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ipse est.

Lectio v. Lib. II. Cap. V.

Credimus in Filium ejus Jesum Christum, natum de Spiritu sancto, ex Virgine Mariâ. Hanc nativitatem, incredule, quid expavescis? Noli credere, si tantùm homo erat qui natus est. Si autem Deus Homo erat, de quâ voluit natus est, quia sicut voluit natus est. Illud potiùs mirare, quia Verbum suscepit carnem: nec est mutatum in carnem, quia manens Deus suscepit hominem. Cæterùm quid miraris quia genitrix suum genuit Genitorem, quia creavit creatura Factorem? Sic voluit nasci excelsus humilis, ut in ipsâ humilitate ostenderet majestatem.

℟. Suscepit Deus Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ; * Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. ℣. In me ancillâ suâ adimplevit Dominus misericordiam suam. Sicut.

Lectio vj. Lib. IV. Cap. IV.

Fides autem et veritas hoc prædicat, quòd Christus natus sit ex Virgine. Sic accepistis: sic vos credere dixistis: Credo. Hæc nativitas Dei et hominis facta est causâ hominis: ut sublimis illa majestas procedens ex corde Patris infunderet se in utero Matris. Causa exegit pietatis, ut homo inveniretur perditus; et Deo Patri per Mediatorem restitueretur

Digitized by Google

restitueretur inventus. Mira tamen hæc nativitas secunda, Fratres dilectissimi..... Angelus ad Virginem loquitur. A Virgine cor præparatur. Christus fide concipitur. Miraris hæc? Adhuc mirare. Parit mater et virgo ; fœta et intacta. Nascitur filius sine homine patre, qui fecit et ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia : portatur manibus matris Rector totius orbis. Lambit ubera, regens sidera: tacet, et Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat quis esset, et universa creatura suum natum indicat Creatorem.

℣. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo : * Quia induit me vestimentis salutis, quasi sponsam ornatam monilibus suis. ℣. Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 45. *in Matth.* 12, *antè medium.*

ILlud etiam præcipuè probat Christus, nec matrem, nec fratres suos, nec quoscumque alios, suâ fretos necessitudine et consanguinitate, virtutem negligere oportere. Nam si nullam mater, etiam in quantùm mater, utilitatem consequitur, nisi virtutem colat, multò minùs alii necessitudine salvabuntur. Una enim, sola, et vera, et communis no-

Digitized by Google

bilitas atque necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei facias. Hic propinquitatis modus multò melior illo atque præstantior est. Quæ omnia probè tenentes, nec de filiorum gestis gloriemur, nisi virtutes eorum imitemur; nec de parentum nobilitate quidquam nobis arrogemus, nisi probam eorum vitam consequamur.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi; qui pascitur inter lilia. * Pulchra es amica mea; suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. ℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. Pulchra es.

Lectio viij.

IDcircò cùm mulier quædam dixisset : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti*, non respondit : Nullus me portavit venter, nec ulla ipse ubera suxi; sed, *Beati qui faciunt voluntatem Patris mei.* Vides quemadmodum nullibi conjunctionem hanc naturæ hominum negat, sed proponit semper illam quæ à virtutibus est. Præcursor etiam Joannes cùm dicit : *Genimina viperarum, ne videamini dicere : Patrem habemus Abraham*, noluit ostendere quia non essent ex Abraham secundùm naturam, sed quia nihil ipsis proderat esse filios Abrahæ, nisi etiam virtute illi conjungerentur..... Quod et hîc (Christus) diligenter facit, quamvis aliquantulùm moderatius et levius videatur, quia de Matre sermo habetur.

℟. Extollens vocem mulier de turbâ dixit ad Jesum : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit : Quin imò,

Digitized by Google

* Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. ℣. Immortalitas est in cognatione sapientiæ ; et præclaritas in communicatione sermonum ipsius. Beati. Gloria Patri. Beati.

Lectio ix.

QUando autem mulier illa clamavit, dicens : *Beatus venter qui te portavit*, non dixit se non habere matrem, sed inde Matrem quòque suam beatitudinem consecuturam asseruit, si Patris ejus faceret voluntatem : quam qui diligenter sequuntur, et fratris, et sororis, et matris retinent locum. O mirabilem honorem ! O virtutis incredibiles vires ! Quò ducitis benè viventes homines ?..... Multò enim propinquiores Deo sunt qui voluntatem ejus faciunt, quàm qui summâ carnis necessitudine conjunguntur. Non ergo simpliciter propinquitatem illam desidera ; verùm etiam viam capesse, magnoque studio confice, quæ ad hoc desiderium te perducat.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

DUm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem : ideò dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hyems transiit : imber abiit et recessit. Surge, amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aulâ lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus:
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosâ beatæ Mariæ sem-

Digitized by Google

per Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. Læva ejus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

℟. *br.* Specie tuâ. * Et pulchritudine tuâ. Specie tuâ. ℣. Intende, prosperè procede, et regna. Et pulchritudine tuâ. Gloria Patri. Specie tuâ.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

AD SEXTAM.

Ant. Nigra sum.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus; non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Speciosa.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus. * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis :

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Officium B. Mariæ in Sabbato.

PRO MENSE JULIO.

Omnia ut in Sabbatis mensis Junii, p. 320, *exceptis lectionibus, quæ in primo nocturno erunt de Scripturâ occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 2. *de laudibus Virg. Matr. num.* 1.

Lectio iv.

DEum hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde Factor hominum ut homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem de qua immaculatâ immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exem-

Digitized by Google

plum ostensurus. Dedit ergo virgini partum, qui ei jam antè et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum.

℟. Concupiscet. p. 324.

Lectio v. num. 2.

His nimirùm Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie suâ et pulchritudine suâ in cœlestibus cognita, cœli civium in sè provocavit aspectus, ita ut et regis animum in suî concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuncium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hîc Evangelista commendat, cùm Angelum perhibet à Deo destinatum ad Virginem..... Lætare, Pater Adam; sed magis tu, ô Heva mater, exulta..... Ambo, inquam, consolamini super filiâ, et tali filiâ : sed illa ampliùs de qua malum ortum est priùs; cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres.

℟. Suscepit Deus. p. 324.

Lectio vj.

Quid dicebas, ô Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi.....* Redditur nempè fœmina pro fœminâ, prudens pro fatuâ, humilis pro superbâ; quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructûs æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic : Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ et comedi, et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. Ecce enim ad hoc *missus est Angelus ad Virginem.* O admirandam et omni honore dignissimam Virginem ! O fœminam singulariter venerandam,

Digitized by Google

super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem!

℟. Gaudens gaudebo. p. 325.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homiliâ S. Augustini Episcopi.

Ex libro de Sanctâ Virginitate. num. 4.

CHristus nascendo de virgine, quæ antequàm sciret quis de illâ fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit quàm imperare. Ac sic etiam in ipsâ fœminâ, in qua formam servi accepit, virginitatem liberam esse voluit. Non est ergo cur Dei virgines contristentur, quòd etiam ipsæ, virginitate servatâ, matres carnis esse non possunt. Illum enim solum virginitas decenter parere posset, qui in suâ nativitate parem habere non posset.

℟. Dilectus meus. p. 326.

Lectio viij.

VEruntamen ille unius sanctæ Virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum Mariâ matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim et Maria laudabiliùs atque beatiùs Christi Mater est, secundùm suprà memoratam ejus sententiam: *Quicumque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, et soror, et mater est.* Has tibi omnes propinquitates, in populo quem redemit, spiritaliter exhibet. Fratres et sorores

Digitized by Google

habet sanctos viros et sanctas fœminas; quoniam sunt illi in cœlesti hæreditate cohæredes.

℟. Extollens. p. 326.

Lectio ix.

MAter ejus est tota Ecclesia, quia membra ejus, id est, fideles ejus, per Dei gratiam ipsa utique parit. Item mater ejus est omnis anima pia, faciens voluntatem Patris ejus fœcundissimâ charitate, in iis quos parturit, donec in eis ipse formetur. Maria ergo faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodò mater est, spiritaliter autem, et soror, et mater. Ac per hoc illa una fœmina, non solùm spiritu, verùm etiam corpore, et mater est, et virgo.

Te Deum laudamus.

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO MENSE AUGUSTO.

Omnia ut in Sabbatis mensis Junii, p. 320, *exceptis lectionibus, quæ in primo nocturno erunt de Scripturâ occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex homil. 3. de laudibus Virginis Matris. num. 7.

Lectio iv.

BEnedictus fructus ventris tui, cui benedixit Deus in æternum, ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus: quia non potest mala arbor fructum facere bonum. *Benedicta*, inquam, *tu in mulieribus*, quæ illam generalem maledictionem evasisti, quâ dictum est: *In tristitiâ paries filios;* et nihilominùs illam quâ secu-

Digitized by Google

tum est: Maledicta sterilis in Israel: ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, et grave jugum super omnes filias Hevæ! Et si parturiunt, cruciantur; et si non parturiunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, et non parere maledictio.

℟. Concupiscet. p. 324.

Lectio v.

QUid facies, Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis manes, maledíceris. Quid eliges, Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undique. Melius est tamen mihi maledictum incurrere, et castam manere..... Hæc maledictio quid aliud est quàm hominum exprobratio? neque ob aliud sanè, dicitur sterilis maledicta, nisi quòd opprobrio et contemptui sit habenda, tamquàm inutilis et infructuosa; et hoc in Israel tantùm. Mihi autem pro minimo est quòd hominibus displíceo, dùm me possim Virginem castam exhibere Christo.

℟. Suscepit Deus. p. 324.

Lectio vj. num. 8.

ECce facturus est tibi magna qui potens est; in tantùm ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Paries, sed non cum tristitiâ. Nescies virum, et gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ claritatis erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, et de Deo concipies. Confortare ergo, Virgo fœcun-

Digitized by Google

da, casta puerpera, mater intacta; quia non eris in Israel ultrà maledicta, neque inter steriles deputata..... *Benedicta* ergo *tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

℟. Gaudens gaudebo. p. 325.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Irenæi Episcopi et Martyris.

Lib. 3. *adversùs hæreses, Cap.* 22, *aliàs* 32.

ERrant qui dicunt Christum nihil ex Virgine accepisse, ut abjiciant carnis hæreditatem, abjiciant autem et similitudinem. Hoc autem dicere est, et putativum apparuisse eum, et tanquàm hominem, cùm non esset homo, et factum eum hominem, nihil assumentem de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis;..... Et Apostolus Paulus in Epistolâ quæ est ad Galatas manifestè ait : *Misit Deus Filium suum factum de muliere.*

℟. Dilectus meus. p. 326.

Lectio viij.

ET rursùs, in eâ quæ est ad Romanos : *De Filio autem*, inquit, *ejus, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri.* Cæterùm supervacua est in Mariam descensio ejus. Quid

Digitized by Google

enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab eâ ? Aut si nihil sumpsisset ex Mariâ, numquàm eas, quæ à terrâ erant, percepisset escas, per quas id, quod à terrâ sumptum est, nutriretur corpus ; nec quadraginta diebus esurisset corpus ejus, suam quærens escam.

℟. Extollens. p. 326.

Lectio ix.

SEd neque Joannes Discipulus ejus, de eo scribens, dixisset : *Jesus autem fatigatus in itinere sedebat.* Nec David præclamasset in eum : *Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt.* Nec lacrymasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis ; nec dixisset, quòd *Tristis est anima mea.* Nec percusso latere *exisset Sanguis et aqua.* Hæc enim omnia signa carnis quæ à terrâ sumpta est, quam in se recapitulatus est, suum plasma salvans.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM
S. MASSILIENSIS ECCLESIÆ.

PARS AUTUMNALIS.

Die XXXI Augusti.
SOLEMNITAS
SANCTI LAZARI

Christi Discipuli; primi Massiliensium Episcopi, et Martyris. Duplex I.æ classis, cum Octavâ.

AD VESPERAS.

Antiphona.

LAzarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ; et loco ultimi*, *Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

Digitized by Google

Ant. Dixit Jesus manifestè : Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quòniam non eram ibi ; sed eamus ad eum.

Ant. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

Ant. Domine, si fuisses hîc, frater meus non esset mortuus; ecce jam fœtet quatriduanus in monumento.

Ant. Maria ergo cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

CAPITULUM. *Ezech.* 37.

HÆc dicit Dominus Deus : Ecce ego aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulchris vestris : Et scietis quia ego Dominus.

HYMNUS.

LUmen nascens de lumine,
Imago Patris unica,
Sis, Christe, laus canentium,
Primumque festi gaudium.
Fortis coronam militis,
Sacri triumphum Præsulis,
Palmas amici Lazari,
Arasque mitis respice.
Dum condoles Sororibus
Quatriduanum mortuum,
Alto fremens suspirio,
Sacris rigasti fletibus.
Fortis ligatum mors tenet;
Sed fortior dilectio.

Digitized by Google

Amore victa mors fugit,
Vitamque vita contulit.
Mortis solutus legibus,
Crucem ferendam prædicat.
Fit præco verbi mortuis,
Quo mortuus surrexerat.
Revixit ut datam pio
Vitam daret certamine;
Tuasque, Christe, lacrymas
Fusus cruor rependeret.
Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sancto simul Paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Domine, eduxisti ab inferno animam meam:

℟. Salvasti me à descendentibus in lacum.

Ad Magnificat.

Antiph. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriâ.

ORATIO.

DEus, qui nos Beati Lazari prædicatione et miraculis, de incredulitatis tenebris in admirabile Evangélii lumen vocasti; concede propitius, ut ipsius intercessione crescamus in gratiâ et cognitione Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Regem, qui amicum suum Lazarum Pastorem nobis dedit, et Patrem, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

REdditum luci, Domino vocante,
Lazarum, turbæ, domitamque mortem,
Laudibus festis, modulisque sacri
Dicite cantûs.

Ille qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensâ,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Conditur antro.

Heu! tuâ præsens ope, si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, assistisses;
Viveret, necdum premerentur atrâ
Lumina nocte.

Jamque mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam:
Nunc et extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis funus, fremituque prodis
Quàm pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia, Spiritumque,
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversùm me.

Multi dicunt animæ meæ : * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es : * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce meâ ad Dominum clamavi : * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum : * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me : * exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causâ : * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus : * et super populum tuum benedictio tua.

Gloria Patri, etc.

Ant. Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.

Ant. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

Digitized by Google

Psalmus 27.

AD te, Domine, clamabo, Deus meus, ne sileas à me : * nequando taceas à me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dùm oro ad te : * dùm extollo manus meas ad Templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus : * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo : * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundùm opera eorum : * et secundùm nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundùm opera manuum eorum tribue illis : * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus : * destrues illos, et non ædificabis eos.

Benedictus Dominus : * quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Dominus adjutor meus et protector meus : * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea : * et ex voluntate meâ confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ : * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ : * et rege eos, et extolle eos usque in æternum.

Ant. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glorià Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

Digitized by Google

Ant. Dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

Psalmus 29.

EXaltabo te, Domine : quoniam suscepisti me : * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus, clamavi ad te, * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam : * salvasti me à descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus : * et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus, * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus : * et ad matutinum lætitia.

Ego autem dixi in abundantiâ meâ : * non movebor in æternum.

Domine, in voluntate tuâ, * præstitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam à me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo : * et ad Deum meum deprecabor.

Quæ utilitas in sanguine meo; * dùm descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est meî : * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium

Digitized by Google

mihi : * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia :.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar, * Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.

Ant. Dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.

℣. Vocabis me, et ego respondebo tibi.

℟. Operi manuum tuarum porriges dexteram.

De Actibus Apostolorum.

Lectio j. Cap. 20.

A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit Majores natu Ecclesiæ. Qui cùm venissent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis à primâ die quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, et lacrymis, et tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Judæorum, quomodò nihil subtraxerim utilium, quominùs annuntiarem vobis, et docerem vos publicè, et per domos, testificans Judæis atque Gentilibus, in Deum pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligatus ego spiritu, vado in Jerusalem, quæ in eâ ventura sint mihi, ignorans : nisi quòd Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens : quoniam vincula et tribulationes Jerosolymis me manent. Sed nihil horum vereor : nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dum-

Digitized by Google

modò consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi à Domino Jesu, testificari Evangelium gratiæ Dei.

℟. Jesus ergo, ut vidit Mariam plorantem, et Judæos qui venerant cum eâ plorantes; infremuit spiritu, et turbavit seipsum; et dixit: Ubi posuistis eum? * Dicunt ei: Domine, veni et vide. ℣. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Dicunt ei.

Lectio ij.

ET nunc ecce ego scio quia amplius non videbitis faciem meam, vos omnes per quos transivi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quominùs annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate memoriâ retinentes, quoniam per triennium nocte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm.

℟. Jesus ergo rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum: erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei: * Ait Jesus tollite lapidem. ℣. Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat; Domine, jam fœtet; quatriduanus est enim. * Ait Jesus.

Digitized by Google

Lectio iij.

ET nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus. Argentum et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis ; quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare, quàm accipere. Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium : et procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes maximè in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri. Et deducebant eum ad navem.

℣. Jesus autem, elevatis sursùm oculis, dixit : * Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me : * Ego autem sciebam quia semper me audis. Sed propter populum qui circumstat dixi ; ut credant quia tu me misisti. ℣. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamavit : Lazare, veni foràs ; et statim prodiit qui fuerat mortuus. Pater, gratias. Gloria Patri. Ego autem.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Ad hoc apparui tibi ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti ; eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te.

Psalmus 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore : * semper laus ejus in ore meo.

Digitized by Google

In Domino laudabitur anima mea : * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum, * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me; * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini : * et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum : * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : * et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus : * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominun omnes sancti ejus : * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt : * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo : * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, et fac bonum : * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos : * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala : * ut perdat de terrâ memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos : * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Digitized by Google

Juxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde : * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum : * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum : * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima : * et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum : * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Ad hoc apparui tibi ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti; eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te.

Ant. Mitto te aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem; ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.

Psalmus 46.

OMnes Gentes plaudite manibus : * jubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjecit populos nobis, * et Gentes sub pedibus nostris.

Elegit nobis hæreditatem suam, * speciem Jacob, quam dilexit.

Ascendit Deus in jubilo, * et Dominus in voce tubæ.

Psallite Deo nostro, psallite : * psallite Regi nostro, psallite.

Quoniam Rex omnis terræ Deus : * psallite sapienter.

Regnabit

Digitized by Google

Regnabit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : * quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.

Ant. Mitto te aperire occulos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, ut accipiant remissionem peccatorum, et sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me.

Ant. Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multâ.

Psalmus 63.

EXaudi, Deus, orationem meam cùm deprecor : * à timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me à conventu malignantium, * à multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas : * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subitò sagittabunt eum, et non timebunt : * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos : * dixerunt : Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates; * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum; * et exaltabitur Deus.

Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum; * et infirmatæ sunt contrà eos linguæ eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos; * et timuit omnis homo.

Digitized by Google

Et annuntiaverunt opera Dei; * et facta ejus intellexerunt.

Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo; * et laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed et in virtute, et in Spiritu sancto, et in plenitudine multâ.

℣. Ecce dedi te in lucem gentium;

℟. Ut sis salus mea usque ad extremum terræ.

Lectio iv.

LAzarus è Bethaniâ, clarus genere, sed virtute nobilior, Martham et Mariam sorores habuit. His Christum Jesum hospitio frequenter excipientibus, eundem pariter cordis hospitio excepit Lazarus, et à suo vicissim exceptus hospite, inter amicos adscriptus est. Contigit autem, absente Christo, Lazarum gravius infirmari: de cujus valetudine sollicitæ sorores, miserunt qui hospiti suo de amici periculo nuntiaret. Quo audito Jesus, dum ad Lazarum venire differt, inter moras, ille diem suum ultimum obiit. Ubi verò Christus accessit, et amicum mortuum vidit, ad hoc spectaculum et sororum dolorem infremens, fusis lacrymis, quatriduanum et jam fœtentem, de monumento, magnâ voce inclamans, suscitavit.

℟. Factum est verbum Domini ad me, dicens: * Vade in civitatem grandem, et prædica in eâ prædicationem quam ego loquor ad te. ℣. Si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum: nam signaculum apostolatûs mei vos estis in Domino. Dixit autem Spiritus mihi ut irem, nihil hæsitans. Vade in.

Digitized by Google

Lectio v.

HOc prodigio cùm Christi virtus et doctrina manisfestiùs cunctis clarescerent, id ægris oculis excipientes Judæi, Lazaro, ejusque sororibus parant exitium. Et ne tàm stupendi miraculi testes usquam conspicerentur, unà cum Marcellâ, Maximino, aliisque christianis, in vetustam navem sine velo, sine remigio, sine viatico impositos, vastissimo mari committunt; ut omnes vel inedia, vel naufragium certum absumeret. Sed navis Deo adgubernante, salvis omnibus, Massiliam appulsa est : ubi Massiliensium Episcopus creatus Lazarus, verbi prædicatione et vitæ cœlestis exemplis, plurimos ad Christum convertit.

℟. Secundùm mensuram regulæ quâ mensus est nobis Deus, usque ad vos pervenimus in Evangelio Christi : non in immensum gloriantes in alienis laboribus; spem autem habentes crescentis fidei vestræ ; * Parati etiam in illa quæ ultrà vos sunt Evangelizare. ℣. Dominus dabit verbum Evangelizantibus, virtute multâ. Parati.

Lectio vj.

CUm autem annos circiter triginta tenellum gregem Evangelicæ doctrinæ pabulo nutrivisset, tentus tandem ab infidelibus, Proconsuli sistitur; à quo vel idolis sacrificare, vel mori compulsus, respondit amicum se habere, cujus potentiâ fuerat semel à morte revocatus in vitam, et pro quo mortem subire denuò non recuset. Pectinibus itaque ferreis laceratus, ignitâ etiam loricâ circumdatus, et crate ferreâ tostus, cùm superari non posset, jussus est sagittis configi; sed illæsus perseverans, ad

Digitized by Google

ultimùm capite truncatus, consummato martyrio, migravit ad Christum, anno salutis circiter octogesimo.

℟. Cùm venissem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo. * Deo autem gratias, * Qui semper triumphat nos in Christo Jesu; et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. ℣. Ducam cæcos in viam quam nesciunt, dicit Dominus : ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta. Hæc verba feci eis, et non dereliqui eos. Deo autem. Gloria Patri. Qui semper.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nam et cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est.

Psalmus 70.

IN te, Domine, speravi; non confundar in æternùm : * in justitiâ tuâ libera me, et eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum : * ut salvum me facias.

Quoniam firmamentum meum, * et refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris : * et de manu contrà legem agentis, et iniqui.

Quoniam tu es patientia mea, Domine : * Domine, spes mea à juventute meâ.

In te confirmatus sum ex utero : * de ventre matris meæ tu es protector meus.

Digitized by Google

In te cantatio mea semper : * tanquàm prodigium factus sum multis : et tu adjutor fortis.

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam : * totâ die magnitudinem tuam.

Ne projicias me in tempore senectutis : * cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi : * et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,

Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, et comprehendite eum : * quia non est qui eripiat.

Deus, ne elongeris à me : * Deus meus, in auxilium meum respice.

Confundantur et deficiant detrahentes animæ meæ : * operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperabo : * et adjiciam super omnem laudem tuam.

Ant. Nemo moveatur in tribulationibus istis : ipsi enim scitis quòd in hoc positi sumus. Nam et cùm apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est.

Ant. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; pesecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus.

Psalmus 123.

NIsi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel : * nisi quia Dominus erat in nobis:

Cùm exurgerent homines in nos, * fortè vivos deglutissent nos :

Cùm irasceretur furor eorum in nos, * forsitan aqua absorbuisset nos.

Digitized by Google

Torrentem pertransivit anima nostra : * forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus, * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de laqueo venantium.

Laqueus contritus est, * et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini, * qui fecit cœlum et terram.

Ant. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus.

Ant. Semper nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali.

Psalmus 141.

VOce meâ ad Dominum clamavi : * voce meâ ad Dominum deprecatus sum:

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum; * et tu cognovisti semitas meas.

In viâ hac qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam : * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga à me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine : * dixi : Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.

Digitized by Google

Intende ad deprecationem meam : * quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me : * quia confortati sunt super me.

Educ de custodiâ animam meam ad confitendum nomini tuo : * me expectant justi, donec retribuas mihi.

Ant. Semper nos qui vivimus in mortem tradimur propter Jesum; ut et vita Jesu manifestetur in carne nostrâ mortali.

℣. Esto fidelis usque ad mortem,

℟. Et dabo tibi coronam vitæ.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 49. *de Cap.* 11. *Joann.*

IN superiori lectione meministis quòd Dominus, exiens de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, discessit trans Jordanem, ubi Joannes baptisabat. Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethaniâ Lazarus, quod Castellum erat proximum Hierosolymis. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis; cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes :* Jam intelligimus quò miserunt; ubi erat Jesus, quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nunciantes quòd ægrotaret frater earum, ut, si dignaretur, veniret, et eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset ressuscitare.

Digitized by Google

℟. In conspectu adstantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam; à pressura flammæ quæ circumdedit me, et in medio ignis non sum æstuatus. * Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, quoniam eruis sustinentes te, Domine. ℣. Pro justitiâ agonizare, pro animâ tuâ; et certa usque ad mortem pro justitiâ; et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Laudabit.

Lectio viij.

QUid ergo nunciaverunt sorores ejus? *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Non dixerunt : veni : amanti enim tantummodò nunciandum fuit. Non ausæ sunt dicere; veni et sana; non ausæ sunt dicere; ibi jube, et hîc fiet : cur enim non et istæ, si fides illius centurionis indè laudatur? Ait enim : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.* Nihil horum istæ; sed tantummodò : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit enim ut noveris : non enim amas et deseris.

℟. Ego jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi; cursum consummavi; fidem servavi. * Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. ℣. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Mihi vivere. Gloria Patri. Mihi vivere.

Lectio ix.

SEd dicet aliquis : Quomodò per Lazarum peccator significabatur, et à Domino sic

Digitized by Google

amabatur? Audiat eum dicentem : *Non veni vocare justos, sed peccatores :* Si enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terram non descenderet. *Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glorià Dei; ut glorificetur Filius Dei.* Talis glorificatio ipsius, non ipsum auxit, sed nobis profuit : Hoc est ergo quod ait, *non est ad mortem*, quia et ipsa mors non erat ad mortem, sed potiùs ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sanè videte quemadmodum tanquàm ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Filium Deum esse.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

ECce ego ad gentem quæ non invocabat nomen meum. Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum.

Psalmi de laudibus Dominicæ.

Ant. Repleta est terra ejus idolis. Opus manuum suarum adoraverunt. Exaltabitur autem Dominus solus, et idola penitùs conterentur.

Ant. Populus quem non cognovi, servivit mihi : in auditu auris obedivit mihi.

Ant. Inclinabitur homo ad Factorem suum; et oculi ejus ad Sanctum Israel respicient.

Ant. Convertam manum meam ad te, et vocaberis civitas justa, urbs Fidelis.

CAPITULUM. *I. Cor. 4.*

FRatres : Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres.

Digitized by Google

Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

HYMNUS.

QUæ dies terris tibi sacra venit,
Venit hæc nobis quoque, præsul alme,
Tu bonus nostros, tua nos propago,
Excipe cantus.

Nostra gens, per te modò Christiana,
Se tibi debet; tibi cessit error.
Luce lustrasti populos sub altâ
Nocte jacentes.

Dæmonum cultus, simulachra divum,
Sacra cum fanis, et adhuc madentes
Non benè effuso pecudum cruore,
Diruis aras.

Impias mentes tenet obstinatus
Error, et densis fruitur tenebris.
Fers diem: vulsis meliora spinis
Semina mandas.

Charitas urget: malè contumaces
Increpas audax, hominem Deumque
Prædicas Christum, nece qui piavit
Crimina mundi.

Mira de Sanctâ Cruce prædicantem
Lazarum rident; resonare Christum
Non tamen cessat, cupidus vicissim
Fundere vitam.

Laus tibi summi moderator orbis,
Lazari duros recreans labores;
Quem fides veri studiosa trinum
Credit et unum. Amen.

℣. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam:

℟. Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

Digitized by Google

Ad Benedictus.

Antiph. Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritûs sancti.

ORATIO.

DEus, qui nos Beati Lazari prædicatione et miraculis, de incredulitatis tenebris in admirabile Evangelii lumen vocasti; concede propitius, ut ipsius intercessione crescamus in gratiâ et cognitione Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit.

AD TERTIAM.

Ant. Repleta est.

CAPITULUM. *I. Cor. 4.*

FRatres: Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

℟. *br.* Humiliatus sum, et liberavit me Dominus; * Alleluia, alleluia. Humiliatus. ℣. Eripuit animam meam de morte. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Humiliatus.

℣. Ecce dedi te in lucem Gentium, Alleluia.

℟. Ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Populus.

CAPITULUM. *Isaiæ 52.*

COnsolatus est Dominus populum suum. Paravit brachium sanctum suum in oculis

Digitized by Google

omnium gentium : et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.

℟. *br.* Ecce dedi te in lucem gentium; * Alleluia, alleluia. Ecce dedi. ℣. Ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Ecce dedi.

℣. Esto fidelis usque ad mortem; Alleluia.

℟. Et dabo tibi coronam vitæ. Alleluia.

AD NONAM.

Ant. Convertam.

CAPITULUM. *Coloss.* 2.

SPiritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinem vestrum, et firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate; radicati et superædificati in ipso, et confirmati in fide.

℟. *br.* Esto fidelis usque ad mortem; * Alleluia, alleluia. Esto fidelis. ℣. Et dabo tibi coronam vitæ. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Esto fidelis.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo: Alleluia.

℟. Gloriam et magnum decorem impones super eum. Alleluia.

IN II. VESPERIS.

Antiphona.

VEnerunt qui cogerent immolare, et accendere thura, et à lege Dei discedere, et dixerunt ei: Accede, et fac sicut omnes gentes.

Ps. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominicâ; et loco ultimi, Ps.* Credidi propter.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Respondens ait : Non colò idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit cœlum et terram.

Ant. Levaverunt vocem suam dicentes : tolle de terrâ hujusmodi. Non enim fas est eum vivere.

Ant. Vir ætate provectus et vultu decorus, gloriosissimam mortem complectens, voluntariè præibat ad supplicium.

Ant. Intuens quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.

CAPITULUM. 2. *Tim.* 4.

BOnum certamen certavi : cursum consummavi : fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex.

HYMNUS.

Lumen nascens, etc., *ut in I. Vesperis.*

℣. Dominus mihi adjutor :

℟. Non timebo quid faciat mihi homo.

Ad Magnificat.

Antiph. Nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ; intùs timores. Sed, qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus.

ORATIO.

Deus, qui nos, etc., *ut suprà in Laudibus.*

Et fit commemoratio S. Raymundi Nonnati Conf., ut in Brev. Rom. hac die.

Digitized by Google

Dominicâ infrâ Octavam S. Lazari.

Festum omnium SS. EPISCOPORUM *Ecclesiæ Massiliensis.* Duplex II.ª classis.

AD VESPERAS.

Antiphona.

INtroducam vos in Sion; et dabo vobis Pastores juxtà cor meum; et pascent vos scientiâ et doctrinâ, dicit Dominus.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominicâ; et loco ultimi, psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Stabunt in judiciis meis et judicabunt. Leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, et sabbata mea sanctificabunt.

Ant. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes : totâ die et totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

Ant. Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt ; Hæreditas sancta nepotes eorum.

Ant. Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.

CAPITULUM *Hebr.* 13.

FRatres : Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

Digitized by Google

HYMNUS.

TArtari diræ paveant cohortes ;
Bella divinum meditatur agmen :
In suis unctis Deus ipse miles
Prælia tentat.

Prodeunt tecti galeâ salutis ,
Cum Crucis signo , gladioque verbi ,
Intonant Christum ; ruit ecce præceps
Hostis in umbras.

Pax tuos ergò manet alta fines ,
Christe , jam liber tibi servit orbis :
Jam tuis latè tua sponsa regnat
Tuta ministris.

Sustinent curas gregis , et quiescit:
Leniunt flendo lacrymas gementûm;
Quas sibi duri rapiunt , egenus
Pascitur escis.

Cœlitum cantus imitando , Numen
Laude ter sanctum celebrant perenni :
Mente jam Cœlo , sua membra , casti ;
Vix sua credunt.

Si reo vindex minitatur ira ,
Inferunt blandâ prece vim tonanti ;
Vincitur votis Deus , et vibrata
Tela coërcet.

Quæ tuis formas populis Ministros ,
Laus tibi jugis , Deitas suprema.
Fac ut in Clero sua prima virtus ,
Christe , resurgat. Amen.

℣. Potens in terrâ erit semen eorum ;
℟. Generatio rectorum benedicetur.

Ad Magnificat.

Antiph. Qui docti fuerint , fulgebunt quasi splendor firmamenti ; et qui ad justitiam

Digitized by Google

erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

ORATIO.

DEus, qui in hac Ecclesiâ tuâ, post Beatum Lazarum fidei nostræ Apostolum, per ejus successores Pontifices, ejusdem fidei semina augeri et roborari voluisti; præsta, quæsumus, ut quos in terris præceptores habuimus, eosdem in cœlis patronos perpetuò sentiamus. Per Dominum.

Et non fit commem. Octavæ, sed Dominicæ tantùm, per antiph. Sabbati occurrentis.

* *Si festum S. Lazari venerit in Sabbato; in II. Vesp. fiet commem. omn. SS. Episc. et Dominicæ sequentis; et ipsâ die Dominicâ, de S. Ægidio Abbate, et SS. 12. Fratribus fiet comm. in laudibus.* = *Si venerit in Dominicâ, tunc in die octavâ S. Lazari fiet de SS. Episcopis, cum comm. octavæ et Dominicæ.* = *Si verò celebretur feriâ secundâ, tunc in I. Vesp. omn. SS. Episc. fiet tantùm comm. Sabbati; in II. autem fiet comm. oct. (ut in I. Vesp.) et Dominicæ.* = *Si festum omn. SS. Episc. incidat in diem 2. Septembris, tunc in I. Vesp. fiet comm. S. Raymundi, et in II. S. Stephani, de quo officium recitatur postridiè.* = *De octavâ S. Lazari, in II. Vesp. omn. SS. Episc. fiet commem. si de eâ, die sequenti, recitandum sit officium.*

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum; * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

ANtiqua gaude Ecclesia,
Magnum decus Phocensium;
Cui tanta præcellentium
Fuit corona Præsulum.
Hos sedis hæredes suæ
Venisse gaudet Lazarus:
Cultamque ab illis centuplùm
Crevisse messem jubilat.
O sorte natos prosperâ,
Ad Christianam qui fidem,
Per optimos Antistites
Evangelizabamini.
Vinclo solutos dæmonis,
Dulcique liberos jugo,
Reddit fideles, et suo
Ovili Christus aggregat.
Supreme, Christe, Pontifex,
Jugis tibi sit gloria;
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant Locutus es cum eis de cœlo, Domine; et dedisti eis judicia recta, et legem veritatis, cæremonias et præcepta bona.

Digitized by Google

Psalmi nocturnorum sumuntur de communi Confess. Pontif.

Ant. Isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus.

Ant. Invocaverunt Dominum misericordem, et expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum.

℣. In nomine tuo, Domine, exultabunt totâ die;

℟. Et in justitiâ tuâ exaltabuntur.

De Libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 44.

LAudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione suâ. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, et prudentiâ suâ prædili; nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, et imperantes in præsenti populo, et virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritiâ suâ requirentes modos musicos, et narrantes carmina scripturarum.

℟. Ædificaverunt Sancta, et atria sanctificaverunt; * Et adoraverunt, et benedixerunt in cœlum eum, qui prosperavit eis. ℣. Audientes autem gentes gavisæ sunt; et disseminabatur verbum Domini per universam regionem. Et adoraverunt.

Lectio ij.

HOmines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt,

Digitized by Google

reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Et sunt quorum non est memoria : perierunt quasi qui non fuerint : et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsorum cum ipsis.

℟. Locutus es, Domine, sanctis tuis, et dixisti : Inveni David servum meum; * Oleo sancto meo unxi eum : Manus mea auxiliabitur ei. ℣. Huic Deus testimonium perhibens, dixit : Inveni virum secundùm cor meum. Oleo.

Lectio iij.

SEd illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt : cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, et in testamentis stetit semen eorum. Et filii eorum propter illos usque in æternum manent : semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℟. O Filii, æmulatores estote legis, et mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; * Et accipietis gloriam magnam, et nomen æternum. ℣. Filii, obedite Parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est. Et accipietis. Gloria Patri. Et accipietis.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Docebant populum in Juda, habentes librum legis Domini; et circuibant cunctas urbes Juda, et erudiebant populum.

Ant. Ad eorum eruditionem omnis Israël sanctificabatur Domino.

Digitized by Google

Ant. Sapientiam ipsorum narrent populi ; et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

℣. Benediximus vobis de domo Domini :

℟. Deus Dominus, et illuxit nobis.

Lectio iv.

MAssiliensis Ecclesia , episcopali sede per sanctum Lazarum , ab ipsis christianæ religionis incunabulis decorata fuit. Lazarus verò , nobili martyrio extinctus , plures habuit in episcopatu successores , quorum nomina sunt in libro vitæ , licet eorum gesta ad posteros non pervenerint ; alii verò sanctissimè episcopali munere functi , cultum specialem non sunt assecuti. Præsenti igitur festivitate , et illos honoramus quorum virtutes et miracula Deus latere voluit ; et illos quorum specialis per annum non habetur memoria.

℟. Rectorem te posuerunt : noli extolli. * Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe. ℣. Si quis vult primus esse , erit omnium novissimus , et omnium minister. Esto.

Lectio v.

INter illos eminent , primo et secundo sæculo , *Restitutus* , *Caraunus* , *Polycarpius* , *Concordianus* , et *Jovianus*. Quarto sæculo Sanctus *Oresius* , qui primo Arelatensi concilio interfuit ; necnon venerabilis *Proculus* , cujus sanctitatem et doctrinam commendat S. Hieronimus , in epistolâ suâ ad Rusticum. Quinto sæculo refulgent Sancti *Venerius* , *Eustachius* , *Salvianus* , et *Honoratus*. Eodem sæculo exeunte floruit Sanctus *Cannatus*. Sextum sæculum illustratur sanctis Pontificibus *Gennadio* , *Theodoro* , ac *Sereno*. Octavo Massiliensem Ecclesiam rexit *S. Abdalonus*.

Digitized by Google

Post hunc *S. Mauron*, ex Abbate S. Victoris in Episcopum Massiliensem assumptus. Decimo sæculo Episcopali honore præfulsit *Sanctus Honoratus*, hujus nominis secundus.

℟. Speculatorem dedi te domui Israel : * Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. ℣ In mente habe qualiter acceperis et audieris, et serva. Audiens.

Lectio vj.

EX tunc Massiliæ sedem tenuere plurimi homines magni virtute; inter quos *Eustachius Gaultius* famâ sanctitatis notus, et *Henricus Belzuntius*, qui grassante peste, animam suam pro ovibus posuit. Huic sedi antiquæ præerat in senectute bonâ *Joannes Bapt. de Belloy*, quando, cum aliis pluribus, à PIO VII. Pontifice Maximo, cui, propter instantem necessitatem, congruum videbatur, suppressa est. Sedatis rerum voluminibus, reversoque Christianissimo Rege, Massiliæ sedes, expostulante clero, annuentibus Magistratibus, rursùm ab eodem PIO VII. Pont. Max. fuit erecta, anno millesimo octingentesimo decimo septimo; et *Carolo Fortunato de Mazenod* commissa, qui illam sexto post anno regendam suscipiens, Cleri et Populi votum implevit.

℟. Accede ad altare, et immola pro peccato tuo : * Offer holocaustum, et * Deprecare pro te, et pro populo. ℣. Debet Pontifex quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Offer. Gloria Patri. Deprecare.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Ant. Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum : nos autem servos vestros per Jesum.

Ant. Christum nos annunciamus, corripientes et docentes in omni sapientiâ, ut exhibeamus hominem perfectum in Christo Jesu.

Ant. Prædiximus quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum, et ad convivendum.

℣. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam ;

℟. Et Sancti tui exultent.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Vigilate ; quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 76. *in Cantica. num.* 7.

INvenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Qui enim vigiles hi ? Nempè illi quos Salvator in Evangelio beatos pronunciat, si cùm venerit, invenerit vigilantes. Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus, *ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus nostris reddituri !* Quàm boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur ! Hi sunt fratrum amatores, et populi christiani, *qui multùm orant pro populo, et universâ Civitate.*

Digitized by Google

℣. Quis est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? * Beatus ille servus quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. ℣. A Domino suo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum. Beatus.

Benedictio. Quorum festum colimus.

Lectio viij.

HI sunt qui multùm solliciti pro sibi commissis Dominicis ovibus, *Cor suum tradunt ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illos, et in conspectu altissimi deprecantur.* Et vigilant, et deprecantur, scientes suam insufficientiam in custodiendâ civitate, et quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* Porrò cùm Dominus ità præcipiat: *Vigilate et orate, ne intretis in tentationem;* liquet quòd absque duplici hoc exercitio fidelium, studioque custodum, non potest esse secura Civitas..... Propterea attendite vobis, quicumque opus ministerii hujus sortiti estis. Attendite, inquam, vobis, et pretioso deposito quod vobis creditum est.

℣. Euge, serve bone et fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: * Intrà in gaudium Domini tui. ℣. Super populum meum constitui te; Sapientia et scientia data sunt tibi; et gloriam dabo tibi. Intrà. Gloria Patri. Intrà.

Nona Lectio erit de homiliâ Dominicæ, et post lectionem Te Deum.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiphona.

NOn peribunt oves meæ in æternùm, et non rapiet eas quisquam de manu meâ, dicit Dominus.

Ant. In pascuis uberrimis pascam oves meas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua eorum. Ibi requiescent in herbis virentibus.

Ant. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.

Ant. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.

Ant. Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem. Dei enim adjutores sumus.

CAPITULUM. *Hebr.* 13.

FRatres: Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

HYMNUS.

QUos Deus ponit populis regendis,
Præsules format priùs atque fingit;
Ne parùm casti veneranda tractent
Sacra Ministri.

Hauserunt, sacros meditando libros,
Magna cœlestis documenta vitæ;
Hinc inardescunt calefacta puris
Pectora flammis.

Sub

Digitized by Google

Sub jugo sensus subigunt severo;
Sola mens regnat, sociumque pœnis
Edomat corpus, domitoque vires
Sumit ab hoste.

In Dei cultum sacra templa ponunt;
Quot situ lapsæ, reparant tot aras:
Singulis curant aperire morbis
Hospita tecta.

Carceres pandunt, pretio nocentes
Eximunt vinclis, aliena solvunt
Æra; nil debent nisi charitati,
Quæ magis urget.

Christe, pastorum Bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis proprio cruore;
Fac ut æternæ subeant opima
Pascua vitæ. Amen.

℣. Sapientiam ipsorum narrent populi;
℟. Et laudem eorum nuntiet Ecclesia.

Ad Benedictus.

Antiph. Christus dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.

ORATIO.

DEus, qui in hac Ecclesiâ tuâ, post Beatum Lazarum fidei nostræ Apostolum, per ejus successores Pontifices, ejusdem fidei semina augeri et roborari voluisti; præsta, quæsumus, ut quos in terris præceptores habuimus, eosdem in cœlis patronos perpetuò sentiamus. Per Dominum.

Et fit commem. Dominicæ tantùm; nisi Dominica inciderit in diem I. Septembris juxtà rubriç. p. 364.

Digitized by Google

AD TERTIAM.

Ant. In Pascuis.

CAPITULUM. *I. Tessal.* 4.

ROgamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

℟. *br.* In nomine tuo, Domine, * Exultabunt totâ die. In nomine. ℣. Et in justitiâ tuâ exaltabuntur. Exultabunt. Gloria Patri. In nomine.

℣. Benediximus vobis de domo Domini;

℟. Deus Dominus, et illuxit nobis.

AD SEXTAM.

Ant. Attendite.

CAPITULUM. 2. *Cor.* 1.

GLoria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus in hoc mundo; abundantiùs autem ad vos.

℟. *br.* Benediximus vobis * De domo Domini. Benediximus ℣. Deus Dominus, et illuxit nobis. De domo. Gloria Patri. Benediximus.

℣. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam;

℟. Et sancti tui exultent.

AD NONAM.

Ant. Unusquisque.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Ephes.* 5.

NEmo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ : nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.

℟. *br.* Sacerdotes tui, Domine, * Induantur justitiam. Sacerdotes. ℣. Et Sancti tui exultent. Induantur. Gloria Patri. Sacerdotes.

℣. Potens in terrâ erit semen eorum :

℟. Generatio rectorum benedicetur.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Introducam, *cum aliis de I. Vesp. Ps.* Dixit Dominus, *et rel. de Dominicâ. Sed loco ultimi dicitur Ps.* Memento, Domine, David. *Capitulum et Hymnus, ut in I. Vesp.*

℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos :

℟. In columnâ nubis loquebatur ad eos.

Ad Magnificat.

Antiph. Exhortatio nostra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo : Sed sicut probati sumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium; ità loquimur : non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.

ORATIO.

Deus, qui in hac, *ut suprà in Laudibus. Deindè fit commem. Dominicæ tantùm, nisi addenda sit alia comm. juxtà rubric.* p. 364.

* *Per octavam S. Lazari omnia dicuntur sicut in festo, except. lectionib., quæ in I. Noct. erunt de Script. occurr. : in II. et III. dicentur eæ quæ habentur inferiùs prò sing. dieb. octavæ.*

Digitized by Google

Die I. Septembris.

Secundâ infrà octavam S. Lazari.

Fit de S. Raymundo Nonnato, Conf. ut in Brev. Rom. cum commem. octavæ, S. Ægidii Abbatis, et SS. Duodecim Fratr. Mart.

Die II. Septembris.

Tertiâ infrà octavam S. Lazari.

Fit de S. Stephano, Hungariæ Rege, Conf. ut in Brev. Rom. cum commem. octavæ. Vesp. à Capit. de oct. cum comm. S. Stephani.

Die III. Septembris.

Quartâ infrà octavam S. Lazari.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
De Assumpt. B. M. V. Serm. 4.
Lectio iv.

ADhuc autem et ad monumentum properat vita nostra. Ut quatriduanum reducat à monumento..... Lazarum quærit, ut quæratur, et in veniatur à Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur, Domine, quære quem amas, ut et amantem facias, et quærentem. Quære ubi posuerunt

Digitized by Google

eum. Jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, et tanquàm lapide superposito, premitur et opprimitur onere pœnitentiæ, maximè quod desit interim fortis ut mors dilectio, et charitas omnia sustinens. Et in his omnibus, *jam fœtet, Domine : quatriduanus est enim.* Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum? Eum sine dubio, qui, nuper peccato mortuus, fodit sibi parietem, ut videat abominationes multas et malas pravi et inscrutabilis cordis sui : et juxtà Prophetam alium, ingressus est in petram, absconditus fossâ humo à facie furoris Domini.

℣. Factum est. p. 350.

Lectio v.

SEd quid est, *Domine jam fœtet; quatriduanus est enim?* Fortè enim fœtorem istum, et quatuor dies istos non continuò quivis intelligat. Ego *primam* arbitror timoris diem, quà nimirùm irradiante cordibus nostris, peccato morimur, et quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* (ni fallor) agitur in labore certaminis; solet nempè inter primordia conversionis acriùs insurgere tentatio pravæ consuetudinis, et vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominùs doloris etiam videtur, dùm recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, et nec tàm laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quòd hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ et caliginis, dies luctûs et amaritudinis. Sequitur *dies pudoris*, non dis-

Digitized by Google

similis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dùm nimis considerat quæ et quanta deliquerit, et in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa : non sibi parcit, durus judex in semetipsum.

℣. Secundùm mensuram. p. 351.

Lectio vj.

UTilis quidem exacerbatio : et digna miseratione crudelitas : facilè sibi divinam concilians gratiam; dùm pro eo mens æmulatur etiam contrà seipsam. Verùmtamen, *Lazare veni foras;* ne in tanto fœtore diutiùs immoreris. Caro putida putredini proxima est : et qui confunditur vehementiùs et tabescit, propè est ut desperet. Propterèà *Lazare veni foras.* Abyssus abyssum invocat : abyssus luminis et misericordiæ, abyssum miseriæ et tenebrarum. Major illius bonitas quàm iniquitas tua : et ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras :* ac si manifestiùs dicat : quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet ? quandiù in cubiculo tuo gravi corde compungeris ? veni foràs, procede, respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in Prophetâ legisti : *Infrænabo os tuum laude meâ, ne pereas.*

℣. Cùm venissem. p. 352.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus. Et reliqua.

De Homiliâ S. Augustini Episcopi.

Tract. 49. *de cap.* 11. *Joann.*

DIxit Jesus : *Qui credit in me*, etiam si *mortuus fuerit* in carne, *vivet* in animâ, donec resurgat et caro numquàm posteà moritura. Hoc est, qui credit in me, licet moriatur, vivet..... Credis hoc? Ait illi Martha: Utique, Domine. Ego credidi..... quia tu es Resurrectio; credidi quia tu es vita; credidi quia qui credit in te, etsi moriatur, vivet : et qui vivit et credit in te non morietur in æternum. *Et cùm hæc dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te..... Judæi igitur qui erant cum illâ in domo, et consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit et exiit, secuti sunt eam dicentes : quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Quare pertinuit hoc ad Evangelistam narrare? Ut videamus quæ occasio fecerit ut plures ibi essent, quando Lazarus ressuscitatus est. Putantes enim Judæi propterèa illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quæreret, secuti sunt eam : ut tàm grande miraculum quatriduani mortui resurgentis, testes plurimos inveniret.

℣. In conspectu. p. 356.

Digitized by Google

Lectio viij.

MAria autem cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hìc, frater meus non fuisset mortuus. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum eâ plorantes, infremuit spiritu et turbavit semetipsum, et dixit : Ubi posuistis eum? Nescio quid nobis insinuavit fremendo spiritu, et turbando seipsum. Quis enim eum posset nisi seipsum ipse turbare? Itaque, Fratres mei, primò hìc attendite potestatem, et sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens : turbatus est Christus, quia voluit..... In illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam..... Anima enim et caro Christi cum omnipotenti verbo Dei una persona est, unus Christus est : ac per hoc, ubi summa potestas est, secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas. Hoc est, *turbavit semetipsum*. Dixi potestatem; attendite significationem.

℣. Ego jam delibor. p. 356.

Lectio ix.

QUid est ergo quòd turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi, quomodò turbari tu debeas, cùm tantâ mole peccati gravaris et premeris? Attendisti enim te, vidisti te reum, cùm putasti tibi : illud feci, et pepercit mihi Deus : illud commisi, et distulit me : Evangelium audivi, et contempsi : baptisatus sum, et iterum ad eadem revolutus sum : Quid facio? Quò eo? Unde evado? Quando ista dicis, jam fremit Christus, quia

Digitized by Google

fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis. Si ipsa fides est intùs, ibi est Christus fremens : si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus; *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris?* Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo..... Sic in corde hominis quem premit magna moles et consuetudo peccati, in corde hominis transgressoris etiam sancti Evangelii, contemptoris pœnarum æternarum; fremat Christus : increpet se homo.

Te Deum laudamus.

Die IV. Septembris.

Quintâ infrà octavam S. Lazari.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Petri Chrysologi.

De Lazaro à mortuis suscitato. Serm. 64.

Lectio iv.

FRatres, habet hoc natura corporis humani, ut producat lacrymas vis gaudii, vis mœroris. Quoties enim viscera, aut lætitiæ, aut tristitiæ nimio arctantur impulsu, oculi in lacrymas mox erumpunt. Hinc est quòd Christus non dolore mortis, sed illius lætitiæ recordatione lacrymavit : qui voce suâ, voce unâ omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam. Fremit spiritu, et totâ se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, et non jam omnes mortuos suscitabat. Quis ergo ex humanâ infirmitate

Digitized by Google

existimet hîc flevisse Christum, cùm Cœlestis Pater luxuriosum filium, non quandiu abiit, sed quando recipit, tunc deplorat? Christus recipiens flevit Lazarum, non amittens.

℟. Factum est. p. 350.

Lectio v.

DEnique non quando plorantes videt, tunc plorat Christus, sed quando interrogat, et in respondentibus videt fidei nihil manere. Dixerat : ubi posuistis eum? at illi responderunt, Domine, veni et vide. Putaverunt eum nescire ubi positus esset in terrâ, qui sciebat ubi illum tartara dira retinerent. Ille sic interrogans exigebat fidem, scientiam porrigebat; ut adstantes scirent quòd mors, quòd sepulchrum, quòd corruptio, quòd putredo, quòd fœtor, non ex conditione Dei, sed ex delicto hominis hominibus accessisset. Nam cum dicit : *ubi posuistis eum?* mulieres increpat, mulieres arguit; hoc est, quem ego posui in Paradiso, in regione vitæ, ecce vos ubi posuistis eum.

℟. Secundùm mensuram. p. 351.

Lectio vj.

SEd et Judæi ad ignorantiam requirentis respondebant : *Domine, veni et vide.* Quid illum jubere morti? Quid jubere illum inferis crederent, qui credebant eum quod erat in oculis non videre? qui de lacrymis ejus taliter disputabant : *Qui potuit aperire cæci oculos, quomodò facere non potuit ut hîc non moreretur?* Potuit facere ut non moreretur, sed mori permisit is, qui mortuum ad suam gloriam voluit suscitare : permisit ad inferna des-

Digitized by Google

cendere, ut appareret Deus, ab inferis hominem cùm reducit. Sed, Judæi, parebunt corda vestra obstructiora inferis, viscera vestra duriora mortuis, oculi vestri tetriores sepulchris, cùm vox quæ patefecit tartara, vestra non patefecit arcana : cùm jussio quæ exsuscitat mortuum, mentes vestras non suscitat; cùm lux quæ illustrat sepulchrum, vestram non illuminat cæcitatem.

℟. Cùm venissem. p. 352.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

De Homiliâ S. Augustini Episcopi.

Tract. 49. *de Cap.* 11. *Joann.*

AUdi adhuc. Flevit Christus : fleat se homo. Quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit et turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi meritò displicentis fremere quodammodò debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi? *Et dixit : ubi posuistis eum?* Scisti quia mortuus sit, et ubi sit sepultus ignoras? Et ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nescit Deus : non ausus sum dicere nescit, quid enim ille nescit? sed quasi nescit. Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio : *Non novi vos, discedite à me.* Quid est,

Digitized by Google

non novi vos? Non vos video in luce meâ, non vos video in illâ justitiâ quam novi.

℟. In conspectu. p. 356.

Lectio viij.

SIc et hîc tamquam nesciens talem peccatorem, dixit: *Ubi posuistis eum?* Talis est vox Dei in paradiso posteaquàm homo peccavit: *Adam ubi es? Dicunt ei, Domine, veni, et vide.* Quid est, *Vide?* Miserere. Videt enim Dominus, quandò miseretur. Unde illi dicitur, *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. Lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodò amabat eum.* Quid est, *amabat eum? Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut et hic non moreretur?* Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quòd facturus est, ut mortuus suscitetur.

℟. Ego jam delibor. p. 356.

Lectio ix.

JEsus autem rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum. Fremit et in te, si disponis reviviscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessimâ consuetudine, *venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.* Mortuus sub lapide, reus sub lege: scitis enim quia lex quæ data est Judæis, in lapide scripta est. Omnes autem rei sub lege sunt, benè viventes cum lege sunt. *Justo lex posita non est.* Quid est ergo *lapidem removete?* Gratiam prædicate. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit novi Testamenti, non litterâ sed spiritu: nam *littera*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *occidit, spiritus autem vivificat.* Littera occidens, quasi lapis est premens. *Removete*, inquit, *lapidem*; Removete legis pondus : gratiam prædicate. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omninò ex lege esset justitia.*

Te Deum laudamus.

Die V. Septembris.

Sextâ infrà octavam S. Lazari.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Petri Chrysologi.

De Lazaro à mortuis suscitato. Serm. 65.

Lectio iv.

JEsus rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum : erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei. Jesus fremens in semetipso venit ad monumentum. Fremit Christus, ut caro reviviscat : fremit vita, ut mors fugetur, fremit Deus, ut resurgat homo : fremit indulgentia, ne sententia contradicat : fremit Christus debellans mortem, quia non potest non fremere, qui singularem rapit de hoste victoriam. Quod autem dixit, *rursùm fremens*; fremit rursùm, ut geminata resurrectionis demonstret insignia : quia voce Christi sicut mortui corpore, de sepulchris suscitantur ad vitam; perfidiâ mortui, ad vitam fidei sic resurgent.

℣. Factum est. p. 350.

Digitized by Google

Lectio v.

Erat, inquit, *spelunca.* Dixisse suffecerat venisse ad monumentum. Quid est quòd tantoperè speluncam Evangelista commemoret? Spelunca planè, ubi hominem diaboli latrocinium collocavit : spelunca, ubi virum fraus condidit mulieris : spelunca, ubi Dei plasma mortis rapacitas includebat. *Et lapis superpositus erat ei.* Duræ mortis janua durior, durissimo lapide claudebatur : sed plorans quid proficit ad sepulchrum, quando sic duros et congestos obices non penetrat vox plorantis? Christiani ploremus Deo pro peccatis nostris, et mortuis non audientibus cum gentibus non ploremus. *Ait Jesus, tollite lapidem.* Inter divinas virtutes humanum Christus requirit auxilium? Non sufficit amovere lapidem, qui mortem sufficit effugare? Sepulchri claustra reserare non valet, qui portas tartari prævalet aperire? Dixerat per Prophetam : *Auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum :* Præcepit ergo ut Judæi ex se cor lapideum tollant, evolvant perfidiæ saxum, silicem duræ incredulitatis excludant, quatenùs animæ per infidelitatem mortuæ de sepulchro pectoris prosilirent : et non tantùm surrexisse Lazarum, quantùm se Lazaro consurrexisse gauderent. *Tollite lapidem.* Tollite miseræ humanitatis obsequium, ut Divinitatis beatæ opera nunc clarescant. *Tollite lapidem*, quem posuistis vos, ut hominem quem ego posui nunc reponam.

℣. Secundùm mensuram. p. 351.

Digitized by Google

Lectio vj.

R*Espondit Martha; Domine : jam fœtèt.* Mulier, et quod fœtet cujus est? *Jam fœtet.* Modò ad te pertinet quod à te venit. Ad sepulchrum non sentires fœtorem, si in Paradiso suasorem noluisses audire. *Jam fœtet.* Quod perditori fœtet, non fœtet Creatori. *Jam fœtet.* Quod horret alieni operis eversor, amator sui operis non abhorret. Sed dicendo sic, testaris mortem, quam tu mulier intulisti : fœtorem clama, ut plena mors audientibus innotescat, quatenùs quod resurget Lazarus, redeuntis sit spiritûs, non latentis : divinæ virtutis sit, non artis humanæ : neque Judæi qui nos dicunt in principe dæmoniorum ejicere dæmones, iterùm dicant nos, non imperio Dei, sed humano præsidio mortuos suscitare. *Jam fœtet, quatriduanus est.* Dicit et tempus, ut sciant quia auctor est temporum, cui tempora nulla præscribunt. *Jam fœtet, quatriduanus est.* Dicendo sic exaggerat desperationem, ut qui adsunt videant, quia Deus est, qui sic vitam mortuis, desperatis salutem, fœtentibus dat vigorem.

℣. Cùm venissem. p. 352.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ, sororis ejus. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 62. in Joann.

MAria surgens è vestigio, Magistro obviam facta est.... et procidit ad pedes ejus. Vehementiùs quàm soror amabat; neque turbam reverita est, neque opinionem quam de eo Judæi habebant. Erant namque multi malevoli, qui dicebant: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?* Sed omnem humanum affectum expulit, Magistro præsente..... Et quid inquit? *Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus.* Sed quid, nihil ad eam loquitur Christus, ut ad sororem? Turba aderat; neque verborum tempus erat: sed movetur humano affectu, quem tantùm primò voluit æstimari. Nam cùm signum magnum, quale rarò fecit, esset facturus, ex quo multa erat proventura utilitas, ne turbâ absente nihil lucraretur, doloris affectu multos testes allicit, ne prædam amitteret.

℟. In conspectu. p. 356.

Lectio viij.

LAcrymatur, et perturbatur Jesus. Nôrat enim lacrymas excitare, et affectum arguere. Illa enim particula, *et infremuit spiritu*, motum illum cohibuisse signat. Et ait: *Ubi posuistis eum?* ne flendo interrogaret. Sed quid rogat? Non vult festinare, sed omnia ab illis discere, et hortatus facere, ut omni suspicione careret miraculum. *Dicunt ei: Domine, veni et vide. Lacrymatus est Jesus.* Nullum adhuc resurrectionis signum ostenderat; neque ut suscitaturus, sed ut lacrymaturus

Digitized by Google

venit..... *Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic , qui aperuit oculos cæci nati, facere ut et hic non moreretur?* Nec in calamitatibus à malitiâ abstinebant. Atqui facturus erat rem longè mirabiliorem. Longè enim majus est post mortem in vitam revocare , quàm instantem propellere. In quo ergo ejus virtus erat admiranda , in eo Jesum calumniantur. Confitentur autem aperuisse oculos cæci nati, et quod rursùs debebant admirari calumniantur, ac si nihil fecisset.

℣. Ego jam delibor. p. 356.

Lectio ix.

QUid tandem tàm diligenter quoties lacrymatus sit Jesus, meminit Evangelista , et quòd infremuerit? Ut intelligas verè naturam nostram induisse..... Neque enim nisi nostræ fuisset naturæ, et semel, et iterum lacrymari coactus fuisset..... Ait ergo : *Tollite lapidem.* Quid tandem absens non idem jusserat atque perfecerat ? Quid non dimisso lapide suscitavit ? Poterat enim qui corpus mortuum voce moverat, et corrupto animam inspirârat, multò magis lapidem movere. Sed cur non fecit? Ut eos testes faceret miraculi. Alioqui enim vel imaginationem , vel præstigium aliquod opinari potuissent; vel alium pro alio suppositum fuisse. Nunc verò cùm affuerint, cùm lapidem tulerint, cùm ligatus exierit, cùm amici à quibus fuerat exportatus præsentes ipsum viderint , et ex vestibus agnoverint , cùm sorores illinc non abierint , et Martha eum jam , quia quatriduanus esset , fœtere dixerit ; hæc omnia

Digitized by Google

sufficientia erant, quæ vel impudentibus silentium imponerent, cùm rei testes adessent.
Te Deum laudamus.

Die VI. Septembris.

Septimâ infrà octavam S. Lazari.

IN II. NOCTURNO.

De Sermone S. Petri Chrysologi.
De Lazaro à mortuis suscitato. Serm. 65.

Lectio iv.

Elevatis oculis sursùm. Elevat oculos sursùm, ut nobis formam supplicandi tribuat, non sibi viam præparet impetrandi: namque sursùm respicit, qui semper est sursùm cum Patre. Semper Pater in ipso est, et ipse semper est in Patre. Ego, inquit, in Patre, et Pater in me est. *Pater, inquit, gratias tibi ago, quia audisti me.* De præsùto agit gratias; et quod Pater audierit, hoc dicitur; quod Filius petierit, hoc tacetur. Fratres, inter patrem et filium audiendi est affectio, non est necessitas supplicandi: Charitas assensûs est, non est austeritas jussionis. Ibi amore geruntur omnia, ubi non indigetur obsequio: sicut ex sequentibus elucescit.

℣. Factum est. p. 350.

Lectio v.

Pater, gratias ago tibi, quia audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis: Vacat invocandi cura, ubi fiducia certa est

Digitized by Google

audiendi : aut quid ibi faciat petendi labor, ubi præstandi est causa communis? Nemo ergo sic Filium minoret precibus, ne Patrem circa salutem hominum sic minoret. Quare autem sic loquatur Filius, ipse aperit, sic dicendo : *Pater, gratias ago tibi quia audisti me : ego autem sciebam quia semper me audis : sed propter populum dixi qui circumstat.* Videtis quia loquendo talia, suum Patrisque affectum tollit; prodit, pandit gratiam; loquitur unitatem.

℣. Secundùm mensuram. p. 351.

Lectio vj.

DIxerat : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt;* et si sua sunt omnia, quomodò petit? Qui de suo petit quod petit, non necessitatis est, sed amoris. *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me : ego autem sciebam quia semper me audis : sed propter populum qui circumstat dixi : ut credant quia tu me misisti :* Missum se dixit, ut populi sciant de Cœlo venisse Christum, non recessisse de Cœlo. Sic ergo mittitur, sic et quod habet accipit, quomodò undè venerat non recessit. Sic ergo et Filius quod habet accipit, et Pater, quod dederit, non amittit. Fratres, et quòd auditur, et quòd mittitur, et quòd venit, et quòd accipit, et quòd nascitur, et quòd patitur, et quòd moritur, et quòd resurgit, non est hoc divinitatis suæ; infirmitatis hoc nostræ est; nostræ est hoc naturæ. Quod tamen totum causâ nostrî tulit in nostro corpore; non propter se in suâ pertulit majestate.

℣. Cùm venissem. p. 352.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

De Homiliâ S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 63. *in Joann.*

QUod sæpè numero dixi, id et in præsentiâ repetam, Deum scilicet non adeò suam spectare dignitatem, ut nostram salutem : neque ut magnum aliquid loquatur, sed ut nos possit allicere..... Ideò orat, et dicit : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Quod si quos vult vivificat, et sicut Pater, ita vivificat, quare orat? Sed vide jam in ipsum venisse locum. *Ut ergo tulerunt lapidem, Jesus elevatis sursùm oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me : Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti.* Interrogemus hic hæreticum, num preces ei quid contulerint ad Lazarum suscitandum?

℟. In conspectu. p. 356.

Lectio viij.

QUomodò ergo alia sine precibus fecit miracula? *Tibi*, inquit, *dico, dæmonium, egredere ab isto* : et *Volo, mundare* : et *Surge, tolle grabatum tuum* : et *Remittuntur tibi peccata tua* : et mari, *Tace, obmutesce.* Quid autem præstaret Apostolis, si preces ei

Digitized by Google

ad miracula opitularentur? Imò neque illi precibus omnia faciebant, sed multa Jesu nomine invocato. Quod si ejus nomen tantùm poterat, quomodo ipse precum auxilio indigebat? quo si indigebat, non utique nomen ejus eam habuisset potestatem..... Sed videamus quid orat: *Pater, gratias ago tibi quia audisti me.* Et quisnam unquàm ita precatus est? Priusquàm quidquam diceret, *gratias ago tibi*, inquit; ostendens se non egere precibus. Omnia enim facis quæ volo: non tanquàm non posset, sed tanquàm una esset ipsorum sententia.

v. Ego jam delibor. p. 356.

Lectio ix.

SEd quâ gratiâ orationis formâ usus est? Non me, sed illum causam dicentem audi: *Propter circumstantem populum, ut credant quia tu me misisti.* Non dixit, ut credant me minorem, et quòd divino indigeam auxilio sine quo nihil facere possum, sed quòd tu me misisti. Hæc omnia preces ostendunt, si simpliciter eas accipiamus. Non dixit, misisti me imbecillum, servitutis conscium, à me ipso nihil potentem: sed his omnibus omissis: ne quid horum suspicareris, ponit veram orationis causam; ne me Deo contrarium arbitrentur..... *Audisti me* et ad amicos dici solet et æquales: *Ego sciebam quia semper me audis*: Hoc est, ut fiat voluntas mea, non egeo precibus ad persuadendum, una enim voluntas est. Ad quid ergo preces? propter infirmiores. *Et cùm hæc dixisset, voce magnâ clamavit.* Cur non dixit, In nomine Patris mei, veni foras: aut, ressuscita eum,

Digitized by Google

Pater : sed omnibus his omissis , orantis formâ aceptâ , reipsa suam præfert auctoritatem? quia et hoc sapientiæ suæ est, ut verbis humilitatem , re potestatem præ se ferat.

Te Deum laudamus.

Vesperæ duplices de die octavâ S. Lazari , ut in I. Vesperis Festi.

Die VII. Septembris.

Octava S. Lazari , Episcopi et Martyris.

Omnia ut in die festi ; præter lectiones , quæ in I. noct. erunt de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro S. Ambrosii Episcopi de fide Resurrectionis.

Lectio iv. Ex lib. II. num. 77.

OStendit tibi Dominus quemadmodum resurgas. Non enim unum Lazarum , sed fidem omnium suscitavit. Quod tu si credas cùm legis , mens quoque tua quæ mortua fuerat , in illo Lazaro reviviscit. Quid enim sibi vult quòd Dominus ad monumentum accessit , magnâ voce clamavit , *Lazare exi foras ;* nisi ut futuræ resurrectionis specimen præstaret , exemplum ederet? Cur voce clamavit , quasi spiritu non soleat operari , quasi tacitus non soleat imperare? Sed ut illud ostenderet quod scriptum est : *quoniam in momento , in ictu oculi , in novissimâ tubâ , et mortui resurgent incorrupti.* Tubarum enim

Digitized by Google

crepitus, vocis metitur elatio. Et clamavit: *Lazare exi foràs.* Cur etiam nomen additur? nisi fortè ne alius ressuscitatus pro alio videretur, aut fortuita magis resurrectio quàm imperata. Audivit ergo defunctus, et exivit foràs de monumento, *ligatus pedes et manus institis; et facies ejus orario colligata erat.*

℟. Factum est. p. 350.

Lectio v.

COmprehende, si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat, inseparabili gressu, separabilique progressu. Manebant vincula, nec tenebant: tegebantur oculi, sed videbant. Videbat denique qui resurgebat, qui ambulabat, qui deserebat sepulchrum. Virtute enim divinæ præceptionis operante, natura suum non requirebat officium; et tanquàm in excessu posita, ut mirari desinas, non jam suo ordini, sed divino nutui serviebat. Rumpebantur priùs mortis quàm sepulturæ vincula: agebatur priùs quàm parabatur incessus. Si miraris hæc, disce quis imperaverit: tùm mirari desines. Jesus Christus Dei virtus, vita, lux, resurrectio mortuorum. Virtus erexit jacentem; vita gressum extulit; lux fugavit tenebras, reparavit obtutum; resurrectio vivendi gratiam reformavit.

℟. Secundùm mensuram. p. 351.

Lectio vj.

FOrtasse moveat quòd Judæi lapidem tollunt, Judæi institas solvunt: ne fortè et tu sollicitus sis quis lapidem de monumento tuo tollat. Quasi verò qui spiritum refundere

Digitized by Google

poterat, lapidem removere non poterat; aut vincula rumpere, qui vinctum fecerat ambulare; aut deoperire faciem, qui opertis oculis lumen infuderat; aut findere petram, qui poterat reformare naturam. Sed, ut vel oculis suis crederent, qui credere mente nolebant, removent lapidem, vident cadaver, fœtorem sentiunt, institas rumpunt. Non possunt negare defunctum, quem aspiciunt resurgentem : vident signa mortis, et vitæ munera. Quid si dùm conantur, labore ipso emendantur? Quid si dùm audiunt, vel auribus suis credunt? Quid si dùm intuentur, vel oculis suis corriguntur? Quid si dùm rumpunt vincula, mentes suas solvunt? Quid si dùm Lazarus exuitur, populus liberatur? Dùm Lazarum abire permittunt, ipsi ad Dominum revertuntur? Denique multi qui venerant ad Mariam, videntes quæ facta sunt, crediderunt.

℣. Cùm venissem. p. 352.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore : Erat quidam languens Lazarus à Bethaniâ, de Castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Et reliqua.

De Homiliâ S. Joannis Chrysostomi.

Serm. XI. de Lazaro quatriduano, in fine.

UT videas orationis operâ non fuisse mortuum excitatum, audi orationem. Quid enim ait : *Gratias ago tibi, Pater, quoniam audisti me.* Quid ergo? Hæccine species est orationis? Hæc forma supplicationis? *Gratias ago*

Digitized by Google

ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem, inquit, *sciebam, quia semper me audis.* Si ergo scis, Domine, semper audiri te à Patre, cur de iis quæ scis Patrem interpellas? Equidem scio, inquit, quia semper audit Pater; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut cognoscant quia tu me misisti..... Ecce propriâ meâ auctoritate mortuum evoco : Ecce propriâ potestate morti impero. Patrem voco, Patrem; et Lazarum evoco è sepulchro. Si primum illud verum non est, ne hoc fiat secundum : sin autem verè Pater est Pater, obediat mortuus, ad eorum qui adsunt instructionem.

℟. In conspectu. p. 356.

Lectio viij.

AUdivit præceptum dominicum mortuus, et confestim leges mortis violavit. Erubescant hæretici, et pereant à facie terræ. Satis enim ex ipso Scripturæ textu constat, non ad mortuum suscitandum orationem esse factam, sed ut eorum, qui aderant, infidelium infirmitati consuleretur. *Lazare, veni foràs.* Quarè verò mortuum nominatim vocavit? Quæris tu quarè? Ne si absolutam vocem ad mortuos direxisset, omnes qui in sepulchris erant excitaret. Idcircò dixit : *Lazare, veni foràs :* Te unum coram hoc populo interim revoco, ut hac in parte specimen virtutis futurorum exhibeam. Ego enim qui unum excitavi, totum orbem terrarum excitabo. Ego quippe sum resurrectio et vita.

℟. Ego jam delibor. p. 356.

Digitized by Google

Lectio ix.

Lazare, veni foràs. Et prodiit mortuus ligatus pedes et manus institis. O rem insolitam et mirabilem ! Qui à mortis vinculis animam solvit, qui fores inferni perfregit, qui portas æreas et vectes ferreos contrivit, et animam à mortis vinculis liberavit, non potuit etiam institas mortui solvere ? Sanè potuit : sed Judæis imperat solvant institas, quas ipsi priùs, dùm illum sepulchro conderent, strinxerant, ut suorum vinculorum indicia recognoscant, ut experimento discant, ex iis quæ ipsi præstiterint, Lazarum eum esse quem ipsi sepulchro condiderint, et Christum esse qui secundùm Patris beneplacitum in mundum advenit, qui vitæ ac necis habet potestatem. Ipsi gloria et imperium, unà cum Patre initii experte, simulque Sancto ac vivifico Spiritu, nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

Vesperæ duplices de Nativitate B. Mariæ Virginis, cum commem. octavæ S. Lazari.

Commemorationes solitæ de S. Lazaro, quando fiunt Suffragia = Post commem. de SS. Apost. Petro et Paulo, dicitur :

AD LAUDES.

Antiph. Miserunt sorores Lazari ad Jesum dicentes : Domine, ecce quem amas infirmatur; et ait Jesus : Infirmitas hæc non est ad

Digitized by Google

mortem, sed pro gloriâ Dei; ut glorificetur Filius Dei per eam.

℣. Ego dormivi, et soporatus sum;

℟. Et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

AD VESPERAS.

Antiph. Liberasti me, secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam; à pressurâ flammæ quæ circumdedit me; et in medio ignis non sum æstuatus.

℣. Si quis mihi ministrat, me sequatur;

℟. Et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Lazarum, Christi discipulum, quatriduanum mortuum suscitatum, Pontificio et Martyrio decorasti: concede nobis ejus meritis à peccatis resurgere, et vitâ æternâ gaudere.

Digitized by Google

Die XXII. Septembris.

Fit Officium S. Laurentii Justiniani, Episcopi et Confessoris. Semiduplex.

Omnia ut in Brev. Rom. (Die 5. Septembris) Sed in I. Vesp. quæ erunt II. de S. Matthæo Apost. fiet tantùm comm. S. Laurentii, et SS. Mauritii, et Soc. Mart. = *Ad Matutinum 9. lect. erit de SS. Martyribus, cum eorum comm. ad Laudes.* = *Vesperæ à Capit. de S. Lino, Papa, et Mart., cum comm. præced. et S. Theclæ, Virg. et Mart.*

Die XXV. Septembris.

In festo SS. DEFENDENTIS, *et Sociorum Mart.* Duplex.

(Hac die fix. ex decreto Ill. et Rev. DD. Episcopi, die 10. Augusti 1824.)

Omnia de communi plurim. Mart., præter sequentia:

In II. Vesperis B. Mariæ Virg. de Mercede, fit commem. SS. Defendentis et Soc.; Antiph. et Vers. de communi.

ORATIO.

OMnipotens et clementissime Deus, qui beatos Martyres tuos Defendentem, et Socios ejus, in confessione veræ fidei for-

Digitized by Google

tes et invictos virtute tuâ constituisti : concede nobis famulis tuis, ut quorum gloriamur triumphis, eorum pariter protegamur auxiliis. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

DUm in Ecclesiam grassaretur immanis Diocletiani et Maximiani persecutio; Beatus Defendens Massiliæ comprehensus, inanibus diis gentium sacrificare jussus est. Cùm verò illam impietatem liberè detestaretur, unà cum sociis militibus diris cruciatibus affectus, gloriosos spiritus, præclarâ in victoriâ, in eâdem urbe effuderunt. Quorum pretiosa cadavera cùm diù delituissent, divinâ revelatione reperta à Beato Theodoro Massiliensi Episcopo, eo quo decebat cultu recondita sunt, in Basilicâ quam pius ille Antistes in eorum venerationem extruxit : à quo etiam horum Beatorum Martyrum vitam conscriptam fuisse, perhibetur.

℣. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis : * Terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Terra apparuit.

Digitized by Google

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Serm. 1. de Sanct. Martyribus. Tom. 3.

Lectio v.

NEmo est qui nesciat Martyrum glorias ad hoc divino consilio à Dei populis frequentari, ut et illis debitus honor dicetur, et nobis virtutis exempla, favente Christo, monstrentur : ut dùm hæc ità celebrari perspicimus, cognoscamus, quanta eos gloria maneat in Cœlis, quorum Natalitia taliter celebrantur in terris : quò possimus etiam ipsi talibus provocari exemplis, virtute pari, devotione consimili ac fide : ut, Christo præstante, dimicare, et vincere hostem possimus : ut partâ victoriâ, cum iisdem sanctis in regnis cœlestibus triumphemus.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine : * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes.

Lectio vj.

QUis est enim, qui eorum volens merito copulari, nisi priùs constantiam eorum teneat, sectetur fidem, imitetur virtutem passionis ; eorum gloriam paribus vitæ lineamentis aut inveniat, aut exquirat? Qui etsi Martyrio par esse non possit, tamen muneris tanti dignitate se quisque bonis actibus dignum præbeat. Adest enim Clementissimus Deus, qui desiderantibus suis, aut Martyrium præbeat, aut sine Martyrio, cum Sanctis præmia divina retribuat.

Digitized by Google

℟. Tanquàm aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et in tempore erit respectus illorum. * Quoniam donum et pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, et fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homil. in Evang., Descendens Jesus de monte, *ut in comm. plurim. Mart.* 2. *loco.*

In II. Vesp. fit commemor. S. Thomæ de Villanova, ut in Brev. proprio loco, et SS. Martyrum Cypriani et Justinæ.

Die XXVI. Septembris.

Fit Officium S. Thomæ de Villanova, Confess. Pontif. Semiduplex.

(Hac die fix. ex decreto Ill. et Rev. DD. Episcopi, 10 *Augusti* 1824.*)*

Omnia ut in comm. et in propr., cum comm. et 9. *lect. (ex duabus una) SS. Martyrum Cypriani et Justinæ.*

Digitized by Google

Die III. Octobris.

In festo S. CYPRIANI, *Episcopi Telonensis, et Confessoris.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter sequentia. ≔ *In II. Vesp. SS. Angelorum Custod. fit commem. S. Cypriani. Antiph. et Vers. de communi.*

ORATIO.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Beati Cypriani Confessoris tui atque Pontificis fidei constantiam subsequamur, qui pro gloriâ nominis tui, contrà hostes Ecclesiæ tuæ decertans, coronam vitæ meruit obtinere. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CYprianus Episcopus Telonensis, humanis et divinis litteris apprimè doctus, floruit temporibus, Anastasii, Justini, et Justiniani Imperatorum, et Clodovæi Francorum Regis, ac Childeberti ejus filii. Ab ineunte ætate adhæsit Beato Cæsario Arelatensi Episcopo, cujus vitæ librum primum, simplici stylo, ornato tamen descripsit; ubi post narrationem

Digitized by Google

belli quod gestum est inter Alaricum Gothorum Regem et præfatum Clodovæum, qui ipsum Alaricum in bello occidit, anno quingentesimo nono; Hodie, ait, Civitas Arelatensis paret Childeberto Francorum Regi, filio Clodovæi, et de Beato Cæsario, et de seipso loquens: Væ, inquit, mihi misero Cypriano, qui ad discendum tàm tepidus fui, ut modò agnoscam et doleam, me de tanti fontis ubertate, non tantùm hausisse, quantùm mea postulabat ariditas. Cùm verò Provincia Narbonensis hæreticâ Arianorum peste laboraret; à Beato Cæsario Diaconus factus, ipsum secutus est in Synodo Agathensi, quæ celebrata est tempore Alarici Gothorum Regis.

℣. Inveni David.

Lectio v.

CUm verò, Mendrianus et Flavianus, nobiles milites ex partibus Saxoniæ, adhuc falsos Deos colentes, in castris Alarici Regis venissent, contrà Clodovæum Francorum Regem pugnaturi; et quâdam die Beatum Cyprianum de verâ religione coram præfato Alarico publicè disputantem audivissent; compuncti corde, conversi, et pœnitentes, ab ipso in fide instructi, baptizati, et à peccatis absoluti, illum Telonem usque sequuntur; ibique secùs mare vitam eremiticam Anachoretarum more duxerunt. Cyprianus igitur Beati Cæsarii præceptoris sui monita servans, ad Episcopale munus assumptus, et illius comes factus, cum eo multis interfuit conciliis, maximè concilio Arausicano secundo, quod celebratum fuit quinto nonas Julii, Decio ju-

Digitized by Google

niore, viro clarissimo, Consule; Anno Domini quingentesimo vigesimo nono.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vj.

CUm autem Antistites Christi propè Isaram consistentes, charitatis amore collecti, in Valentinam Civitatem convenissent, quò Beatus Cæsarius infirmitatis causâ, sicut disposuerat, properare non potuit; misit tamen præstantissimos viros de Episcopis, cùm Presbyteris, et Diaconis. Inter quos etiam Cyprianus, Telonensis Antistes, magnus et clarus emituit; omnia quæ dicebat divinis Scripturis firmans, et antiquissimis Patrum institutionibus probans: cui Beatus Cæsarius Mantum, et Cinctorium melius testamento legavit. Interfuit etiam ipse Cyprianus quarto Concilio Aurelianensi, tempore Vigilii Papæ, et Childeberti Francorum Regis: anno Domini quingentesimo quadragesimo primo. Post hæc Cyprianus vitâ celebris, doctrinâ peritus, et religionis sanctitate probatus, super gregem sibi à Domino commissum vigilans, illum verbo et exemplo pascebat: ac post multos pro ovibus suis exantlatos labores, obdormivit in Domino, quinto nonas Octobris.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homil. in Evang. Homo peregrè proficiscens, *de communi Conf. Pont.* 1. *loco.*

In II. Vesp. à Capit. fit de S. Francisco, cum commem. S. Cypriani.

Digitized by Google

Die XI. Octobris.

In festo SS. EUSEBIÆ *et sociarum, Virginum et Martyrum.* Duplex.

(Hac die fix. ex decreto Ill. et Rev. DD. Episcopi, 10 *Augusti* 1824. *)*

Omnia de Communi Virg. et Mart. præter sequentia :

Ad Magnificat, *in utrisque Vesperis, et ad* Benedictus, *in Laudibus.*

Antiph. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades; ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam;

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Eusebiæ et sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari : ut, quas dignâ mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Et fit Commemoratio S. Francisci Borgiæ.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

EUsebia Virgo, insigni pietate illustris, sacrarum Virginum monasterio præfuit, quod olim Beatus Cassianus in agro Massiliensi,

Digitized by Google

non procul à sancti Victoris templo, extruxerat. Irruentibus in Monasterium infidelibus, sacras Virgines, de vitâ retinendâ minùs, quàm de pudore servando sollicitas, hortatur Eusebia nasum sibi præcidant, ut cruento spectaculo barbarorum accendatur feritas, libidoque extinguatur. Quod cum incredibili animi alacritate, et ipsa, et cæteræ omnes præstitissent, barbari primùm rei novitate attoniti, tùm furore perciti, eas, numero quadraginta, Christum mirâ constantiâ confitentes, immaniter trucidarunt. Earum ossa in subterraneo Sancti Victoris templo condita, veneratione religiosâ coluntur. Certissimâ constat traditione, in earumdem Monasterio, quod intrà Massiliæ muros translatum, sub Sancti Salvatoris nomine diù floruit, olim moris fuisse, ut quotiescumque Virgo aliqua, vel ad ponendum vitæ cœnobiticæ tirocinium, vel ad vota emittenda admitteretur, Abbatissæ Eusebiæ, sociarumque martyrium illi Sacerdos, velut maximum constantiæ incitamentum, in memoriam revocaret.

℟. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tuâ et pulchritudine tuâ intende, prosperè procede, et regna. Et deducet.

Ex libro S. Cypriani Episcopi et Martyris de disciplinâ et habitu Virginum.

Lectio v. Cap. 2.

NUnc nobis ad Virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria est, major et cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis; læta indoles,

Digitized by Google

indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini; illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ Matris gloriosa fecunditas: quantòque plus copiosa Virginitas numero suo addit, tantò gaudium Matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur, affectione potiùs quàm potestate. Non quòd extremi et minimi, et humilitatis nostræ admodùm conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus; sed quòd ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus.

℟. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. Propterea.

Lectio vj.

NEque enim inanis hæc cautio est, et vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica et vitalia præcepta custodit; ut quæ se Christo dicaverint, et à carnali concupiscentiâ recedentes, tàm carne, quàm mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum: nec ornari jam, aut placere cuiquam, nisi Domino suo, studeant: à quo et mercedem Virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones, qui ex utero matris sic nati sunt: et sunt spadones, qui coacti sunt ab hominibus: et sunt spadones, qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitiâ, et exul-

Digitized by Google

tatione. ℣. Specie tuâ et pulchritudine tuâ, intende, prosperè procede, et regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homiliâ in Evangelium : Simile erit Regnum cœlorum decem Virginibus, *ut in communi.*

Die XV. Octobris.

In Festo S. CANNATI, *Episcopi Massiliensis.* Duplex majus.

AD VESPERAS.

Antiphona.

SUscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxtà cor meum et animam meam faciet.

Ps. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominicâ, et loco ultimi*, *Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

Ant. Elegi eum ex omnibus mihi in Sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, et adoleret mihi incensum.

Ant. Ædificabo ei domum fidelem; et ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

Ant. Erit ipsi pactum sacerdotii sempiterni; quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israel.

Ant. Quemcumque elegerit Dominus, ipse erit sanctus.

Digitized by Google

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

HYMNUS.

PLaude, quam Deus dilexit,
Urbs Massiliensium.
Te Cannatus olim rexit,
Ad salutem civium.
Quem fides ad astra vexit,
Fert tibi præsidium.
Stirpe regiâ sublimis,
Regna mundi spreverat;
Seque pœnitens in imis
Antris occultaverat;
Sed brevi petrarum rimis
Sanctitas eruperat.
Nostra, quæ gemit Pastorem
Vitæ functum munere,
Civitas novum Rectorem
Vult Cannatum sumere;
Sylvæ dùm possit cultorem
Deprecando vincere.
Infulam timet Cannatus,
Vitâ gaudens simplici.
Tunc ego vobis Prælatus,
Inquit, possum suffici,
Hic si possit exsiccatus
Fustis arbor effici.

Digitized by Google

Ramus albicans virescit,
Et Cannatus vincitur.
Dùm miracli fama crescit,
Pontifex efficitur.
Grex virtutibus florescit,
Qui tàm sanctè pascitur.
Sit laus summæ Trinitati
Æqua sæclis omnibus:
Et nos, per preces Cannati,
Triumphatis hostibus,
Jugiter simus beati,
Cum Sanctorum millibus. Amen.

℣. Beatus quem elegisti et assumpsisti;
℟. Inhabitabit in atriis tuis.

Ad Magnificat.

Antiph. Elegit eum Dominus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, et bonum odorem pro populo suo.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctum Cannatum de stirpe regiâ prodeuntem, divinitùs Massiliensis Ecclesiæ, dùm in deserto pœnitentiam ageret, Pontificem esse voluisti; ejus meritis et intercessione nobis concedere digneris cœlestium donorum omnium fulcimentum. Per Dominum.

Et fit commemoratio S. Calixti, Papæ et Mart., ut in Breviario.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Christum Pastorum Principem, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Digitized by Google

HYMNUS.

QUærit à primo puerilis ævi
Flore Cannatus nemorum latebras.
O nimis felix recreata tanto
Hospite tellus!
Dic quibus pœnis juvenile corpus
Plectit, et largo madefacta fletu
Antra, vel sacro resonare doctas
Carmine valles.
Aviis gaudens latitare sylvis,
Regius Christo juvenis cohæret;
Fortis ut mundum superet, Deoque
Serviat uni.
Sylva mox prodit malè quem tegebat.
Flevit inventus; sua damnat antra:
Ut suis vivat fruiturus umbris
Instat, et urget.
Sed reluctantem manifesta produnt
Signa Cannatum: placidos recessus
Deserit mœrens, et Episcopalem
Sumit honorem.
Sit Patri, sit laus Genito, sit almo
Flamini, sit laus tribus una semper:
Sit tibi cunctis, Deus unus, æqua
Gloria sæclis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Labia Sacerdotis custodient scientiam; et legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum est.

Psalmi nocturnorum sumuntur de communi Confessoris Pontificis.

Digitized by Google

Ant. Oportet Episcopum amplecti eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem; ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ.

Ant. In pace et in æquitate ambulavit, et multos avertit ab iniquitate.

℣. Posui adjutorium in potente;

℟. Et exaltavi electum de plebe meâ.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

I. ℟. Rectorem te posuerunt: noli extolli. * Esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. Esto.

II. ℟. Speculatorem dedi te domui Israel: * Audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. ℣. In mente habe qualiter acceperis et audieris, et serva. Audiens.

III. ℟. Accede ad altare, et immola pro peccato tuo: * Offer holocaustum, et * Deprecare pro te, et pro populo. ℣. Debet Pontifex quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Offer. Gloria Patri. Deprecare.

IN II. NOCTURNO.

Ant. In lege Domini congregationem judicavit, et in fide suâ probatus est Propheta; et cognitus est in verbis suis fidelis.

Ant. Dedit illis legem, ne obliviscerentur præcepta Domini; et ut non exerrarent mentibus, et hortabatur ne legem amoverent à corde suo.

Ant. Aperiet os suum, et in oratione confitebitur Domino; et ipse diriget consilium ejus et disciplinam.

Digitized by Google

℣. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos.

℟. In columnâ nubis loquebatur ad eos.

Lectio iv.

CAnnatus illustri clarus origine, Regis Aquensis filius fuit. Nobilis quidem genere, sed religione ac pietate nobilior, virtutum omnium studio assiduè incumbebat. Scientiis, ac præcipuè cœlesti doctrinâ, apprimè instructus est. Verùm spretis humanæ vitæ voluptatibus, et calcatis hujus sæculi honoribus, Deoque solo dives et plenus, in desertum se contulit, ut sanctius vivendi genus amplecteretur. Dùm hominis à mortalium consortio sepositi vitam ageret, ac omnes Monachi virtutes vir Regius exerceret, non ita virtus ejus latuit, quin per totam Provinciam diffusa sit, ac Massiliensium animos, præ insolitâ singularis sanctitatis famâ, in admirationem conjecerit, et pietatis suæ amore impleverit.

℟. Audivit eum Dominus et vocem ipsius, et dedit illi præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, * Docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israel. ℣. Hic est qui fuit in Ecclesiâ cum patribus nostris, qui accepit verba vitæ dare nobis. Docere.

Lectio v.

SUb idem tempus quo desertum incolebat Cannatus, Ecclesia Massiliensis Pastore suo orbata est. Cives fusis, pro obtinendo successore, Deo precibus, mentem suscipiunt ad eremum mittendi, in quâ Cannatus versabatur, ut illius ad Episcopalem dignitatem

Digitized by Google

à populo factam electionem ratam haberet. Ad tantæ dignitatis fastigium promoveri renuit, qui etiam hominum fugiebat obtutus; et cùm ad assensum, ab illis qui missi fuerant, urgeretur; constanter asserit non majus apparere rationis vestigium eorum postulatis annuere, quàm aridam et siccam arundinem reflorescere. Floret protinùs arundo quam manu tenebat. Mentem et animum mutat Cannatus : divinæ voluntati obtemperat: Pastoris officio fungitur : Massiliensem Ecclesiam sanctissimè gubernat : et post mortem sanctorum honoribus à populo decoratus est. Hæc sunt quæ Ecclesiæ nostræ traditio nobis credenda reliquit.

℟. Pactum meum fuit cum eo vitæ et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me. * Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus. ℣. Fidelis erat in totâ domo ejus tanquàm famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant. Lex veritatis.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 59. *quæ est* 2. *de S. Eusebio Vercellensi.*

Lectio vj.

AD sancti ac beatissimi Patris nostri Cannati cujus hodie festa celebramus, laudes addidisse, aliquid decerpsisse est : siquidem virtutum ejus gratia non sermonibus exponenda est, sed operibus comprobanda. Cùm enim dicat Scriptura : Gloria patris est filius sapiens : quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantorum filiorum sapientia et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangelium ipse nos genuit.

Digitized by Google

℟. Locutus es, Domine, Sanctis tuis, et dixisti : Inveni David servum meum; * Oleo sancto meo unxi eum : * Manus mea auxiliabitur ei. ℣. Huic Deus testimonium perhibens, dixit : Inveni virum secundùm cor meum. Oleo. Gloria Patri. Manus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. In omni opere dedit confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ.

Ant. Erogavit pecunias multas. Justitiam et fidem conservavit genti suæ; et exquisivit omni modo exaltare populum suum.

Ant. Non recedet memoria ejus; et nomen ejus requiretur à generatione in generationem.

℣. Justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. Cornu ejus exaltabitur in gloriâ.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 19.

IN illo tempore : Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti. Et reliqua.

Homiliâ S. Ambrosii Episcopi.

Lib. 8. *Exposit. in Luc. num.* 91.

BOnus ordo, ut vocaturus gentes, et Judæos jussurus interfici, qui noluerunt regnare suprà se Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur : Nihil dederat populo Judæorum. Undè poterat melior fieri : aut quid ab eo, qui nihil recepit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam suprà mulier Evangelica, quia non invenit, lu-

Digitized by Google

cernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam.

℣. Quis est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? * Beatus ille servus quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. ℣. A Domino suo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum. Beatus.

Lectio viij.

DEnique ex unâ decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus : ille duplicia, id est, mystica legis, et moralia probitatis. Unde et Mathæus quinque talenta, et duo talenta posuit. In quinque talentis, ut sint moralia, in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ità quod numero inferius, re uberius.

℣. Euge, serve bone et fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui. ℣. Super populum meum constitui te : Sapientia et scientia data sunt tibi; et gloriam dabo tibi. Intra. Gloria Patri. Intra.

Lectio ix.

ET hîc possumus decem mnas, decem verba intelligere, id est, legis doctrinam: quinque autem mnas, magisteria disciplinæ. Sed legis peritum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est Regnum Dei. Benè autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt; non utique æris, sed dispensationis

Digitized by Google

usuris. Alia est enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinæ cœlestis usura.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

QUi intrat per ostium, Pastor est ovium: huic ostiarius aperit; et oves vocem ejus audiunt.

Ant. Proprias oves vocat nominatim, et educit eas, et antè eas vadit.

Ant. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.

Ant. Si perdiderit unam ex illis, vadit ad illam, donec inveniat eam; et cùm invenerit, imponit in humeros suos gaudens.

Ant. Fur venit ut perdat: mercenarius videt lupum, et fugit: bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei; providentes, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

HYMNUS.

JEsu Sacerdotùm decus,
In hac die, quâ gloriâ
Sanctum coronas Præsulem,
Votis adesto supplicum.

Digitized by Google

Sui probatus præmium
Amoris, et pignus tui,
A Patre traditos tibi
Accepit agnos pascere.
Hos novit, et præit vocans
In tuta quemque pascua;
Victumque præbet; audiunt,
Sequuntur, et vivunt oves.
Quam sentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam suo
Portans ovili reddere.
Arcet frementes bestias;
Lupi retundit impetus;
Dolosque fallit; vel mori
Charo paratus pro grege.
Offert frequentem victimam
Cum plebe Pastor innocens;
Secumque devotum gregem
Pius Sacerdos immolat.
Supreme, Christe, Pontifex,
Jugis tibi sit gloria,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Elegit Dominus servum suum:
℟. Pascere hæreditatem suam.

Ad Benedictus.

Antiph. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Sanctum Cannatum de stirpe regiâ prodeuntem, divinitùs Massiliensis Ecclesiæ, dùm in deserto pœnitentiam

Digitized by Google

pœnitentiam ageret, Pontificem esse voluisti; ejus meritis, et intercessione nobis concedere digneris cœlestium donorum omnium fulcimentum. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Ant. Proprias oves.

CAPITULUM. 1. *Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes, non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum; neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè; neque ut dominantes in cleris; sed forma facti gregis ex animo.

℟. *br.* Sapientiam ejus * Enarrabunt gentes. Sapientiam. ℣. Laudem ejus enuntiabit Ecclesia. Enarrabunt. Gloria Patri. Sapientiam.

℣. Constitutus est à Deo super montem sanctum ejus:

℟. Prædicans præceptum ejus.

AD SEXTAM.

Ant. Oves illum.

CAPITULUM. *Jerem.* 3.

INtroducam vos in Sion, et dabo vobis Pastores juxtà cor meum; et pascent vos scientiâ et doctrinâ.

℟. *br.* Constitutus est à Deo * Super montem sanctum ejus. Constitutus. ℣. Prædicans præceptum ejus. Super. Gloria Patri. Constitutus.

℣. Pavit eos in innocentiâ cordis sui:

℟. Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Fur venit.

CAPITULUM. *Act.* 20.

ATtendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocentiâ cordis sui. Pavit. ℣. Et in intellectibus manuum suarum deduxit eos. In innocentiâ. Gloria Patri. Pavit.

℣. Nos populus tuus, et oves pascuæ tuæ:

℟. Confitebimur tibi in sæculum.

IN II. VESPERIS.

Ant. Qui intrat, *cum reliquis de laudibus. Psalmi de Dominicâ, et loco ultimi; Ps.* Memento, Domine, David.

CAPITULUM. *Act.* 20.

NOcte et die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrûm: et nunc commendo vos Deo, et verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, et dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.

HYMNUS.

Quærit à primo, etc., *ut ad Matutinum.*

℣. Sacerdotes tui, Domine, induantur justitiam;

℟. Et Sancti tui exultent.

Ad Magnificat.

Antiph. Scitis quomodò nihil subtraxerim

Digitized by Google

utilium, quominùs annuntiarem vobis, et docerem vos publicè, et per domos.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, *ut suprà in laudibus.*

Et fit commem. S. Theresiæ Virginis.

Die XVI. Octobris.

Fit Officium de S. Theresia Virg. Duplex.

Omnia ut in Breviario, die XV. ejusdem mensis Octobris. Ad Matutinum autem dicitur Hymnus propr. qui notatur in Breviario pro Vesperis et Laudibus; scilicet, Regis superni nuntia; *et ad Laudes dicitur Hymn. de Matutino;* Hæc est dies, qua candidæ, etc.

Die XXI. Octobris.

In festo S. MAURONTIS, *Episcopi Massiliensis, Confessoris.* Duplex majus.

Omnia de communi Confess. Pontif. præter sequentia:

ORATIO.

DEus, qui Beatum Maurontem, Confessorem tuum atque Pontificem, verbis et virtutibus mirabilem effecisti: concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, eumdem apud tuam clementiam intercessorem sentiamus. Per Dominum.

Digitized by Google

Et fit commem. præced., ac S. Hilarionis Abbatis. Ant. Similabo eum. *Vers.* Os justi meditabitur. *Orat.* Intercessio.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

MAuron, vir egregius, ab ineunte ætate illecebras sæculi respuens, primam juventutem in Monasterio Sancti Victoris Massiliæ transegit; ibique sanctioris vitæ tirocinium posuit. Tùm aspirante Dei gratiâ, in eodem cœnobio, sub Abbate Magno, Sancti Benedicti habitum suscepit. Emissâ solemni professione, tanto animi ardore in assequendis virtutibus profecit, ut mirum in modum tanquàm sanctitatis exemplar ab omnibus haberetur. Ut spiritu convalesceret, carnem suam abstinentiâ, jejuniis, vigiliis, et diuturnis orationibus in servitutem redigebat. Humilitatis eximius cultor, quælibet demississima monasterii munia exequi, in deliciis habuit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

DEfuncto Abbate, in ejus locum, licet invitus, et reluctans suffectus, in eo munere, pari prudentiâ et charitate, Monachos sibi subditos gubernans, eos ad perfectionis viam, et verbo et exemplo hortabatur, cum magno regularis observantiæ emolumento; ita ut exinde viri permulti, tum doctrinâ, tum sanctitate illustres prodierint; è quibus

Digitized by Google

nonnulli ad Episcopatum promoti fuere. Cùm igitur ex his latebris sanctitatis ejus radii usquequaque erumperent, Ecclesia Massiliensis suo viduata pastore, ipsum sibi Episcopum elegit.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vj.

AD tantam dignitatem evectus, assiduâ vigilantiâ populos sibi commissos regere satagebat, factus forma gregis ex animo. Nihil prorsùs de priore vivendi ratione immutato, humilitatem, modestiam, gravitatem, in egenos liberalitatem, in adhortando mansuetudinem, in reprehendendo severitatem, semper exhibuit. Hinc non tantùm Episcopis, et Principibus venerationi erat; sed etiam Carolo Magno Imperatori apprimè charus; à cujus benignitate, quandam villam ab ejusdem ministris suo monasterio per vim ereptam, celebri rescripto in Urbe Diniensi, recuperavit. Tandem clarus miraculis, et plenus dierum, migravit in cœlum, die vigesimâ primâ mensis Octobris, anno post Christum natum octingentesimo secundo. Ejus corpus apud Sanctum Victorem sepultum, et in Basilicâ inferiori conditum, ibi hactenùs honorificè colitur.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homiliâ in Evangelium : Vigilate, *de communi 2. loco. Nona lectio (ex duabus una fit) de S. Hilarione Abbate, et commem. ejusdem in laudibus; Ant.* Euge serve bone. *Vers.* Amavit eum.

Digitized by Google

In II. Vesp. fit commem. SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart. Ant. Prudentes Virgines; *Vers.* Adducentur; *ut in festo S. Eusebiæ*; p. 407. *Oratio, ut infrà.*

Die XXII. Octobris.

In Festo SS. URSULÆ *et Sociarum ejus, Virginum et Martyrum.* Duplex.

Omnia de comm. Virg. et Mart. præter ea quæ hic sunt propria.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, Sanctarum Virginum et Martyrum tuarum Ursulæ et sociarum ejus, palmas incessabili devotione venerari : ut quas dignâ mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

CUm Maximus proximas Gallias invasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset; vacuam Provinciam, uberes glebas, Britannicis militibus, novæ coloniæ tribuit, ac divisit : undè eidem Provinciæ comparatum est nomen, ut minor Britannia diceretur. Quò verò eorum etiam posteritati consuleret, ex

Digitized by Google

magnæ Britanniæ insulâ singulis uxores quæri jussit. Singulis militibus singulæ Virgines, ex gentilibus suis, sunt in matrimonium postulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus post Maximum dux Connanus, unus ex Britanniæ Regulis; cui paris nobilitatis conjux designata est filia Dionici Regis Cornubiæ, nomine Ursula.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

LOndini itaque cunctis coactis, invitæ licet, patrium solum carosque suos relinquentes, imponuntur navigiis. Dùmque regionem Armoricorum cogitant nautæ, mox sæva procella naves impulit in germanicum littus. Ubi dum essent, Melga Pictorum, et Gaunus Hunnorum piratæ, qui comparatâ classe, icto fœdere cum Gratiano Imperatore, adversùs Maximum, ut vel hac arte eum à cœptis deturbarent, cùm ad infestandam Britanniam tenderent, in has ad littus jactatas Virginum naves incidentes, sic in Britannas Virgines, ut in hostes grassati sunt; ut vim inferendi illarum pudicitiæ consilium caperent. Quæ omnes hortatu Ursulæ, mortem durissimam potiùs oppetere, ac gladiis obtruncari, Christianâ constantiâ decreverunt, quàm ignominiosum quid pati.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vj.

CUmque eâ persisterent animi firmitate: mox illorum libidine in barbaricum furorem mutatâ: cùm aliò properarent, ne longiori morâ distinerentur, singulas crudelissimè trucidârunt; indeque in Britanniam navigârunt.

Digitized by Google

Nactamque eam militibus vacuam aggressi; sed confestim, missis illuc à Maximo duabus militum legionibus, indè pulsi, solverunt in Hiberniam. Sparsâ in finitimis regionibus famâ de gloriosâ Virginum nece, quòd vitæ potiùs, quàm pudicitiæ dispendium pati sustinuissent; à vicinorum locorum accolis sacra cadavera cum honore sunt sublata; atque Coloniam Agrippinam delata, debito sanctis Martyribus cultu celebrata sunt.

℣. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de homil. in Evang. : Simile erit Regnum cœlorum decem Virginibus, *ut in communi.*

Ad Benedictus, *in laudibus, et ad* Magnificat, *in II. Vesp. repetitur antiph.* Prudentes Virgines, etc. *ut in festo S. Eusebiæ*, p. 407.

Digitized by Google

Dominicâ infrà octavam Omnium Sanctorum.

Celebratur Festum SANCTORUM *Ecclesiæ et Diœcesis Massiliensis.* Duplex II. classis.

(Ad postulandum eorum Patrocinio conservationem et augmentum Fidei.)

AD VESPERAS.

Antiphona.

DOmus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini.

Psalm. Dixit Dominus.

Ant. Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes, et super omnes qui credunt in eum.

Psalm. Confitebor.

Ant. Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam; adepti sunt repromissiones.

Psalm. Beatus vir.

Ant. Si habueritis fidem, sicut granum synapis, nihil impossibile erit vobis.

Psalm. Credidi propter.

Ant. Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui à vento movetur, et circumfertur.

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Judæ* ℣. 20.

VOs autem, Charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate.

HYMNUS.

JEsu, Redemptor omnium,
Vitæ beatæ præmium;
Vultu pio nos aspice,
Tuâ Parente supplice.
O purpurati Martyres!
Jam laureati milites,
Christi redemptos Sanguine,
Juvate Christi nomine.
O quos beat Confessio!
Votiva quos Professio!
Et vos, eremi Sanctitas!
Nos vestra salvet charitas.
Vos castitatis agmina,
Fecunda Cœli germina;
Carnis solutos nexibus,
Locate sanctis sedibus.
Arcete gentes impias,
Oves vocate devias;
Sit Pastor unus omnium,
Unusque grex fidelium.
Præsta, beata Trinitas,
Nos sanctitatis semitas;
Pulsis salutis hostibus,
Tutis tenere gressibus. Amen.

℣. Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam.

℟. Domine, adauge nobis fidem.

Digitized by Google

Ad Magnificat.

Ant. Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Qui non crediderit condemnabitur.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, Sanctorum tuorum meritis et intercessione, conservationem Fidei, et augmentum; ut in hac vitâ tibi placeamus, et post mortem salutem æternam consequamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. Dominicæ sequentis.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Authorem Fidei, et consummatorem Jesum; * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

SAlvete, Cœli Præsides,
Ecclesiæ fundamina,
Nostræ salutis obsides,
Divina Verbi fulmina.

Per vos Patris divinitas,
Christique regnant dogmata;
Per vos refloret sanctitas,
Et Spiritûs charismata.

Cohors triumphans Martyrum,
Mystæ, sacrique Præsules,
Corona casta Virginum,
Cœlo reducant exules.

Quicumque summâ siderum
Regnatis aulâ Principes,

Digitized by Google

Iter parate prosperum,
Nostræ salutis præstites.
Sit summa Patri gloria,
Nato, simul cum Spiritu;
Qui nos frui dent patriâ,
Fausto salutis exitu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Psalmus 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit; * et in cathedrâ pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus : * et in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tanquàm lignum quod plantatum est secus decursus aquarum : * quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium ejus non defluet : * et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic : * sed tanquàm pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

Ideò non resurgent impii in judicio; * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum; * et iter impiorum peribit.

Gloria Patri, etc.

Ant. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Ant. Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt gentes : * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt

Digitized by Google

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, * adversùs Dominum, et adversùs Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum; * et projiciamus à nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis irridebit eos : * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in irâ suâ : * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me : * Filius meus es tu; ego hodiè genui te.

Postula à me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam; * et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virgâ ferreâ; * et tanquàm vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite : * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore; * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus; * et pereatis de viâ justâ.

Cum exarserit in brevi ira ejus : * beati omnes qui confidunt in eo.

Ant. Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Ant. Qui timetis Dominum, credite illi; et non evacuabitur merces vestra.

Psalmus 13.

DIxit insipiens in corde suo : * Non est Deus.

Digitized by Google

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis : * non est qui faciat bonum : non est usque ad unum.

Dominus de cœlo prospexit super filios hominum : * ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : * non est qui faciat bonum : non est usque ad unum.

Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolosè agebant : * venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione, et amaritudine plenum est : * veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio et infelicitas in viis eorum ; et viam pacis non cognoverunt : * non est timor Dei antè oculos eorum.

Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem ; * qui devorant plebem meam sicut escam panis.

Dominum non invocaverunt : * illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Dominus in generatione justâ est ; consilium inopis confudistis : * quoniam Dominus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutare Israel ? * Cùm averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, et lætabitur Israel.

Ant. Qui timetis Dominum, credite illi ; et non evacuabitur merces vestra.

℣. Accedite ad eum, et illuminamini ;

℟. Et facies vestræ non confundentur.

Digitized by Google

De Epistolâ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 11.

EST autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt senes. Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quàm Caïn obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; et per illam, defunctus adhuc loquitur. Fide Henoc translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo. Sine Fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.

℟. Unum Corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis, in unâ spe vocationis vestræ. * Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. ℣. Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Unus Dominus.

Lectio ij.

ET quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, et Prophetis; qui per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum: acceperunt mu-

Digitized by Google

lieres de resurrectione mortuos suos. Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.

℣. Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum, et * Qui crediderit in eum non confundetur. ℟. Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Qui crediderit.

Lectio iij.

ALii verò ludibria, et verbera experti, insuper et vincula, et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt : circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ. Et hi omnes testimonio Fidei probati, non acccperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.

℣. Gratiâ enim estis salvati per Fidem, et hoc non ex vobis : * Donum enim Dei est. ℟. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Donum. Gloria Patri. Donum.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Qui credit in Filium habet vitam æternam; qui autem incredulus est Filio non videbit vitam.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea et salus mea : * quem timebo?

Digitized by Google

Dominus protector vitæ meæ : * à quo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes , * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei , * ipsi infirmati sunt , et ceciderunt.

Si consistant adversùm me castra : * non timebit cor meum.

Si exurgat adversùm me prælium : * in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino , hanc requiram : * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini : * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo : * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petrâ exaltavit me : * et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi , et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : * cantabo , et psalmum dicam Domino.

Ant. Qui credit in Filium habet vitam æternam ; qui autem incredulus est Filio non videbit vitam.

Ant. Aspicite et considerate , an inveniatis virum facientem judicium , et quærentem Fidem , et propitius ero ei , dicit Dominus.

Psalmus 32.

EXultate justi in Domino : * rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in citharâ : * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Digitized by Google

Cantate ei canticum novum : * benè psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini : * et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam et judicium : * misericordiâ Domini plena est terra.

Verbo Domini Cœli firmati sunt : * et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium : * reprobat autem cogitationes populorum ; et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet : * cogitationes cordis ejus in generationem et generationem.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus : * populus quem elegit in hæreditatem sibi.

Ant. Aspicite et considerate, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem Fidem, et propitius ero ei, dicit Dominus.

Ant. Apud te est fons vitæ ; et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te, Domine.

Psalmus 35.

DIxit injustus ut delinquat in semetipso : * non est timor Dei ante oculos ejus.

Quoniam dolosè egit in conspectu ejus : * ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

Digitized by Google

Verba oris ejus iniquitas et dolus : * noluit intelligere ut benè ageret.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo : * astitit omni viæ non bonæ ; malitiam autem non odivit.

Domine, in Cœlo misericordia tua : * et veritas tua usque ad nubes.

Justitia tua sicut montes Dei : * judicia tua abyssus multa.

Homines et jumenta salvabis, Domine, * quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.

Filii autem hominum : * in tegmine alarum tuarum sperabunt.

Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : * et torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Quoniam apud te est fons vitæ : * et in lumine tuo videbimus lumen.

Prætende misericordiam tuam scientibus te : * et justitiam tuam his qui recto sunt corde.

Non veniat mihi pes superbiæ : * et manus peccatoris non moveat me.

Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem : * expulsi sunt, nec potuerunt stare.

Ant. Apud te est fons vitæ ; et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te, Domine.

℣. Qui credit Deo attendit mandatis ;

℟. Et qui confidit in illo non minorabitur.

Sermo S. Augustini Episcopi de Trinitate.

Ex Serm. 384, *aliàs* 1. *de verbis Apost. Cap.* 1.

Lectio iv.

SAncta et divina eloquia, Fratres, jugiter, imò quotidiè, nobis salubriter recitantur,

Digitized by Google

ut animæ nostræ pascantur; in futuro autem sæculo æternis epulis saginentur; dicente Propheta : *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* Qualis sit autem hæc gloria futura, et quibus divitiis floreat, quantoque splendore præfulgeat, laudare possumus, explicare non possumus. Quare? Quia legimus; *Nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Si igitur tanta et talia sunt bona æterna, cœlestia, quæ Dominus omnipotens præparavit sanctis suis Catholicis et Fidelibus populis, quid est ipse Deus, qui talia et tanta præparavit?

℟. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ in caliginoso loco : * Nisi credideritis, non intelligetis. ℣. Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloriâ. Nisi.

Lectio v.

NUllæ quippe sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est Fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, Catechumenos baptisat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat, Virgines, Viduas, et Conjugales casto pudore conservat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, regnis cœlestibus præparat, in æternâ hæreditate cum Angelis Sanctis communicat. Sicut ipse Dominus promittendo confirmat. *In resurrectione neque nubunt, neque uxores ducunt; sed erunt æquales Angelis Dei,* per Christum Dominum nostrum.

Digitized by Google

℟. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum : * Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum. ℣. Apparet autem his qui Fidem habent in illum. Quoniam.

Ex Sermone S. Augustini Episcopi, de Verbis Ecclesiastici.

Lectio vj.

QUid de Deo timeamus, qui nec fallere potest, quia veritas est, et abundat omnibus, quia fecit omnia. Credamus ergo, Fratres. Hoc est primum mandatum, hoc est initium Religionis, et vitæ nostræ, fixum habere cor in Fide, et figendo cor in Fide vivere benè, abstinere ab omnibus seductoriis, sustinere mala temporalia; et quandiù illa blandiuntur, et illa minantur adversùm utrumque inconcussum habere cor, ne in illa defluas, ne in illa frangaris. Habendo ergo continentiam, habendo etiam substinentiam, cùm bona temporalia transierint, et mala quæ inferantur non erunt; habebis omne bonum, habebis nullum malum.

℟. Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus * Quam Deus daturus est his qui Fidem suam nunquàm mutant ab eo. ℣. Dominus faciet misericordiam et veritatem. Quam Deus. Gloria Patri. Quam Deus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Filii hominum, usquequò gravi corde; ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Digitized by Google

Psalmus 4.

CUm invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ : * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei; * et exaudi orationem meam.

Filii hominum, usquequò gravi corde : * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum : * Dominus exaudiet me cùm clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : * multi dicunt quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine, * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui : * multiplicati sunt.

In pace in idipsum : * dormiam et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

Ant. Filii hominum, usquequò gravi corde; ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Ant. Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Psalmus 18.

COEli enarrant gloriam Dei; * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum; * et nox nocti indicat scientiam.

Digitized by Google

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum : * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum : * et ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut Gigas ad currendam viam : * à summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : * præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi : * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum ; * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea : * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit ? ab occultis meis munda me : * et ab alienis parce servo tuo.

Si meî non fuerint dominati, tunc immaculatus ero : * et emundabor à delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjutor meus, * et Redemptor meus.

Ant. Testimonium Domini fidele, sapientiam prætans parvulis. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Digitized by Google

Ant. Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim qui repromisit.

Psalmus 78.

DEus, venerunt gentes in hæreditatem tuam : polluerunt templum sanctum tuum : * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli : * carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquàm aquam in circuitu Jerusalem; * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris : * subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt.

Usquequò, Domine, irascêris in finem? * accendetur velut ignis zelus tuus.

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob : * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; citò anticipent nos misericordiæ tuæ : * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos : * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne fortè dicant in gentibus : Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio

Digitized by Google

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est : * introcat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundùm magnitudinem brachii tui : * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ : * confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Ant. Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem. Fidelis est enim qui repromisit.

℣. Quid me oportet facere, ut salvus fiam?

℟. Crede in Dominum Jesum, et salvus eris.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. Cap. 8.

IN illo tempore : Dixit Jesus turbis Judæorum : Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex Tract. 40. *in Joann. post medium.*

DIcebat ergo Dominus ad eos, qui crediderant in eum, Judæos : Si vos manseritis in verbo meo. Ideò, *manseritis*, quia initiati estis, quia et ibi esse cœpistis. *Si manseritis*, hoc est, in Fide quæ in vobis esse credentibus cœpit; quò pervenietis? Vide quale initium, quò perducit. Amasti fundamentum, culmen attende; et ex istâ humilitate, aliam celsitudinem quære. Fides enim humilitatem

Digitized by Google

habet. Cognitio, et immortalitas, et æternitas non habet humilitatem, sed celsitudinem.

℟. In virtute Dei custodimini per Fidem, in salutem paratam revelari in tempore novissimo, in revelatione Jesu Christi; * Quem, cùm non videritis, diligitis. ℣. In quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, et glorificatâ. Quem, cùm.

Benedictio. Quorum festum colimus.

Lectio viij.

QUid promisit credentibus, Fratres? *Et cognoscetis veritatem.* Quid enim? Non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur? Si non cognoverant, quomodò crediderunt? Non quia cognoverunt crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quod enim cognituri sumus, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Quid est enim Fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre.

℟. Mandata ejus gravia non sunt; quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum; * Et hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra. ℣. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei. Et hæc est. Gloria Patri. Et hæc est.

Nona Lectio de homiliâ Dominicæ, et in fine, Te Deum laudamus.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Ant. Domus Jacob, *ut in I. Vesperis. Psalm* Dominus regnavit, *cum reliquis. Capitulum et Hymnus ut in I. Vesperis.*

℣. Qui timetis Dominum, credite illi;

℟. Et non evacuabitur merces vestra.

Ad Benedictus.

Antiph. Illuminare his qui in tenebris sedent; et dirige pedes nostros in viam pacis.

ORATIO.

DA nobis, quæsumus, omnipotens Deus, Sanctorum tuorum meritis et intercessione conservationem Fidei, et augmentum; ut in hac vitâ tibi placeamus, et post mortem vitam æternam consequamur. Per Dominum.

Et fit commemoratio Dominicæ.

AD TERTIAM.

Ant. Justitia Dei.

CAPITULUM *Judæ* ℣. 20.

VOs autem, Charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ Fidei, in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate.

℟. *br.* Justitia Dei * Per Fidem Jesu Christi. Justitia. ℣. In omnes et super omnes qui credunt in eum. Per Fidem. Gloria Patri. Justitia.

℣. Corde enim creditur ad justitiam:

℟. Ore autem fit confessio ad salutem.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

Ant. Sancti per Fidem.

CAPITULUM. *Jac.* 2.

QUid proderit, Fratres mei, si Fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit Fides salvare illum?

℟. Corde enim creditur * Ad justitiam. Corde enim. ℣. Ore autem fit confessio ad salutem. Ad justitiam. Gloria Patri. Corde enim.

℣. Homo sensatus credit legi Dei.
℟. Et Lex illi fidelis.

AD NONAM.

Ant. Postulet autem.

CAPITULUM. *Joann.* 1.

IN propria venit, et sui eum non recepe-runt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus.

℟. Homo sensatus * Credit Legi Dei. Homo. ℣. Et Lex illi Fidelis. Credit Legi Dei. Gloria Patri. Homo.

℣. In omni opere tuo crede,
℟. Ex Fide animæ tuæ.

IN II. VESPERIS.

Antiphonæ, Psalmi, Capitulum, Hymnus, ut in primis.

℣. Qui credit Deo attendit mandatis.
℟. Et qui confidit in illo non minorabitur.

Digitized by Google

Ad Magnificat.

Antiph. Iniquitas delebitur, et Fides in æternum stabit.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, *ut suprà in Laudibus.*

Et fit commemoratio Dominicæ.

Die VIII. Novembris.

In festo Repositionis SS. RELIQUIARUM *Ecclesiæ Massiliensis.* Duplex Majus.

(Hac die fix. ex decreto Ill. et Rev. DD. Episcopi, 10 *Augusti* 1824. *)*

Omnia de Communi plurimorum Mart., præter ea quæ sequuntur:

AD VESPERAS.

HYMNUS.

O Vos unanimes Christiadum chori,
Sanctorum tumulos et cineres Patrum,
Dulces exuvias, pignora Cœlitum,
Lætis dicite cantibus.
Cœlo quando piis æqua laboribus
Felices animæ gaudia possident,
Pœnarum sociis debita redditur
Hîc laus et decus ossibus.
Passim sparsa, Deus, polliciti memor,
Custos, ne pereant, pignora colligit;
Electosque suis providus aggerit
Aptandos lapides locis.

Digitized by Google

Quin et Relliquias, et tumulos, sibi
Aras ipse Deus consecrat hostia;
Conjungensque suis se caput artubus,
Hos secum simul immolat.
Vos quorum cineres supplicibus pia,
Tutum præsidium, plebs colit osculis;
Si vos nostra movent, subsidium, boni,
Vestris ferte clientibus.
Ut cùm nostra novis splendida dotibus
Surget juncta choris spirituum caro;
Indivisa Trias sit Deus omnia
Nobis semper in omnibus. Amen.

℣. Pretiosa in conspectu Domini
℟. Mors Sanctorum ejus.

Ad Magnificat.

Antiph. Vivent mortui, Israel : interfecti mei resurgent. Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere. Alleluia.

ORATIO.

AUge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris : et fac nos immortalis gloriæ partícipes, cujus in eorum cineribus pignóra veneramur. Per Dominum.

Et fit commem. Octavæ, ac SS. Quatuor Coronatorum, ut in Breviario.

* *Si Octava Omnium Sanctorum venerit in Dominicâ, tunc in ipsâ die octavâ celebrabitur festum SS. Diœcesis, et de Repositione Sacrarum Reliquiarum fiet in Sabbato præcedentì. Feriâ Sextâ in I. Vesperis fiet commem. Octavæ omn. Sanct. Secundæ autem erunt de SS.*

Digitized by Google

Diœcesis, cum commem. Sacr. Reliquiarum, Octavæ, (ut in I. Vesp.), et Sabbati occurrentis tantùm.

AD MATUTINUM.

HYMNUS.

ADeste sancti Cœlites,
Bonique, vestra dùm piis
Coluntur ossa ritibus,
Votis favete supplicum.
Non illa, quamquàm tristibus,
Imum redacta in pulverem,
Cavis sepulchris squalleant,
Divina virtus deserit.
Sed sancta, præsenti fovet,
Impletque templa numine,
Et jam futuræ spiritus
Post sæcla servat gloriæ.
Honor tibi, laus, gloria
Sit, indivisa Trinitas;
Quæ nos per ossa Martyrum
Salvas, foves, et instruis. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Ex Sermone Theophridi Abbatis de Sanctorum Reliquiis.

Extat in Biblioth. Patrum; Tom. XII. p. 417.

Lectio iv.

LAudemus Dominum mirabilem in Sanctis suis, sed mirabiliorem in eorumdem Reliquiis; quia licet sit magnus in magnis, glori-

Digitized by Google

osus tamen mirabilia operatur in minimis. Non satis est illi, quòd sanctorum animas in æternæ felicitatis glorificat regione, nisi et eorum Reliquias glorificet in hâc peregrinatione. Neque sufficit quòd immortalitatis illis donat delicias, nisi et totius mundi conferat divitias. Oppida enim et Castella, vicos et urbes, quæ omnia jam magni tenuere principes, exiguus Sanctorum pulvis possidet; locuples rerum copia illorum Reliquiis subjacet. Animæ in cœlesti jubilant Palatio, Reliquiæ eorum exaltantur in subdito sibi sæculo. Non poterunt umquàm tàm profundè in terræ recondi visceribus, quin super terram per miraculorum effectus, effulgeant ipso sole lucidiùs. Has singulis Provinciarum et Civitatum populis dedit in solatium, ut dùm importunis urgentur incursibus hostium visibilium et invisibilium, per harum deffensentur meritum.

℟. Sancti tui, Domine.

Lectio v.

SI verò Sanctorum Reliquiæ occultarentur, et virtutum signis non illustrarentur, quid durum et lapideum cor hominis ad desideranda cœlestia excitaret? Quid à vitiis ad virtutes revocaret? Quæ homo speraret præmia, si eos quos in vitâ suâ justissimos esse novit, non videret esse in memoriâ? Qui vix ad cultum et amorem Dei nunc proficit, vix teporem à se infidelitatis nunc excutit, dùm Electorum Dei Reliquias miraculorum gratiâ illustrari aspicit. Sacræ profectò fidei constructio per miracula crevit, et eisdem deficientibus, in quibusdam gentibus, decrevit. Nisi enim Sancti prædicatores miraculis co-

Digitized by Google

ruscarent, frustrà verbum vitæ prædicarent. Et licet signa non sint fidelibus, sed infidelibus, fides tamen fidelium per signa solidatur, quæ, aut à Sanctis audierunt facta Patribus, aut per eorum Reliquias in suis vident fieri obtutibus.

℣. Verbera carnificum.

Lectio vj.

VErè mundi lucernæ Sanctorum Reliquiæ claritatis suæ splendorem longiùs spargunt, easque, ut præfati sumus, illorum merita quorum sunt, nusquàm negligenter latere sinunt. O mira divinæ pietatis miseratio! O ineffabilis circa Sanctorum Reliquias dignatio! Deus Sanctus Sanctorum est, et Sanctorum congregatio Dei habitatio est. Non parvi sed maximi apud eum pretii sunt Reliquiæ illorum, quas exaltat super omnem mundi ornatum. Namque earum excellentiæ omnis lapis pretiosus non comparatur, sed quidquid in rebus volventibus pretiosum est, in earum comparatione vilissimum judicatur. Terrarum sunt munimenta, et æternæ retributionis, divinæque magnitudinis documenta. Nam evidentibus patet indiciis, quanta sit Dei magnificentia, cùm sanctorum Reliquiæ tantâ polleant gloriâ. Si enim humana divinis, si parva licet comparare magnis, quicumque alicujus temporalis Domini servos cernit, in eis quantæ dignitatis sit idem Dominus perpendit. Si potentes et divites sunt servi, ditior et multò amplioris potentiæ esse creditur is cujus subjacent ditioni. Ad arida enim eorum ossa, (ut Patris luculentissimi dictis utamur Gregorii), ægri veniunt, et sanantur; perjuri veniunt, et

Digitized by Google

à dæmonio vexantur ; dæmoniaci veniunt, et liberantur ; leprosi veniunt, et mundantur ; deferuntur mortui, et suscitantur.

℟. Tanquàm aurum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nihil est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Ex libro XXII. de Civitate Dei. Cap. 10.

MIraculis quæ per Memorias nostrorum Martyrum fiunt, nullo modo comparanda sunt miracula, quæ facta per templa perhibentur gentilium. Verùm si qua similia videntur ; sicut à Moyse Magi Pharaonis, sic eorum dii victi sunt à Martyribus nostris. Fecerunt autem illa dæmones eo fastu impuræ superbiæ, quo eorum dii esse voluerunt. Faciunt ista Martyres, vel potiùs Deus, vel orantibus aut cooperantibus eis, ut Fides illa proficiat, quâ eos, non Deos esse nostros, sed unum Deum habere nobiscum credamus. † Denique illi talibus diis suis, et templa ædificaverunt, et statuerunt aras, et Sacerdotes instituerunt, et sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus ; sed uni Deo, et Martyrum, et nostro, sacrificium immolamus.

℟. Propter testamentum.

Digitized by Google

Lectio viij.

AD quod Sacrificium, sicut homines Dei qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco et ordine (Martyres) nominantur; non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippè, non ipsis sacrificat, quamvis in Memoriâ sacrificet eorum : quia Dei Sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi; quod non offertur ipsis, quia hoc sunt et ipsi. Quibus igitur potiùs credendum est miracula facientibus? Eisne qui seipsos volunt haberi Deos ab his quibus ea faciunt; an eis qui, ut in Deum credatur, quod et Christus est, faciunt quiquid mirabile faciunt?..... Credamus ergo eis, et vera dicentibus, et mira facientibus. Dicendo enim vera, passi sunt, ut possent facere mira. In eis veris est præcipuum, quòd Christus resurrexit à mortuis, et immortalitatem resurrectionis in suâ carne primus ostendit, quam nobis affuturam, vel in principio novi sæculi, vel in hujus fine promisit.

℣. Ego consolabor vos : videbitis, et gaudebit cor vestrum; * Et ossa vestra quasi herba germinabunt; et * Cognoscetur manus Domini servis ejus. ℣. Absterget Deus omnem lacrymam, et mors ultrà non erit; neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà. Et ossa. Gloria Patri. Cognoscetur.

Nona Lectio erit de SS. Quatuor coronatis, ut in Breviario; et post lectionem. Te Deum.

* *Si Festum celebretur in Sabbato, (juxtà Rubr. superiùs positam;) tunc ex Lectione septimâ duæ fient; Octavâ incipiente ab his verbis:* Denique illi.

Digitized by Google

AD LAUDES.

HYMNUS.

QUi de capillis cogitat,
Membrisque vitam suggerit
Deus, suorum corpora
Ne conterantur, providet.
Hinc ille qui nostris latet
Cinis sub aris conditus,
Ægris medetur efficax;
Torquet, fugatque Dæmones.
Honor tibi, laus, gloria
Sit, indivisa Trinitas,
Quæ nos per ossa Martyrum
Salvas, foves, et instruis. Amen.

℣. Dominus custodit omnia ossa eorum:
℟. Unum ex his non conteretur.

Ad Benedictus.

Antiph. Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, vita vestra; tunc et vos apparebitis cum ipso in gloriâ.

ORATIO.

Auge in nobis, etc. *ut in I. Vesperis.*

Deindè fit commem. Octavæ, et SS. Quatuor coronatorum; ut ibi.

IN II. VESPERIS.

Antiphonæ et Psalmi, ut in II. Vesp. plurim. Martyrum; Hymnus, Versus et Antiphona ad Magnificat, *et Oratio ut suprà in I. Vesperis.*

Deindè fit commem. Octavæ, Dedicationis Ecclesiæ Salvatoris, ac S. Theodori Martyris.

Officium

Digitized by Google

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO MENSE SEPTEMBRI.

AD VESPERAS.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis de laudibus. Psalmi consueti de B. M. V.*

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio et antè sæcula creata sum; et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.
Sumens illud Ave,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse Matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Ut videntes Jesum,
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contrà hostes tuos.

Digitized by Google

Antiph. Beata Mater et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

ORATIO.

CONcede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberati tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Sancta Maria, Dei genitrix Virgo; * Intercede pro nobis.
Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

QUem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant;
Trinam regentem machinam,
Claustrum Mariæ bajulat.
Cui luna, sol, et omnia,
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratiâ,
Gestant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
Cujus, supernus Artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arcâ clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu;
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.

Digitized by Google

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Antiphonæ, psalmi et versus nocturnorum, ut in officio parvo.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de scripturâ occurente.

I. ℟. Erat Virgo desponsata viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et * Nomen Virginis Maria. ℣. Tu ipse Domine Deus, qui elegisti, posuisti nomen ejus. * Nomen.

II. ℟. Benedicam ei, et ex illâ dabo filium cui benedicturus sum. * Constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et regnabit in domo Jacob in æternum. * Constituam.

III. ℟. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. * Quia. Gloria Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Damasceni.
Orat. III. de immaculatæ Virginis Mariæ Nativitate; post medium.
Lectio iv.

IN eo nempè oraculo, quod ad Mariam Virginem editum est, respondens Gabriel, præter alia hoc quoque dixit: *Et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus?* Quidnam

Digitized by Google

hìc docens? Nempè quòd David, ejus qui ex eâ nasciturus erat, parens esset. Et quî tandem alioqui consentaneum erat Angelum his ad Virginem verbis uti, nisi quia simul quoque eam ex Davide ortam esse confitebatur? Neque enim ad eam, nisi ex Davide promanasset, ipse dixisset, *Dabit ei Deus sedem David patris ejus.* Cujusnam enim patris? meritò interrogasset Virgo; quæ quidem profiteretur non cognoscere virum, intellexisset autem quod conciperet ex Spiritu Sancto; nisi perspicuè ipse ad Davidis filiam loqueretur.

℣. Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam * Ipse est Deus tuus, et adorabunt eum. ℣. Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ipse est.

Lectio v.

MAnifestè igitur ostensum esse arbitror, Josephi genus apud Evangelistas non frustrà recenseri; ex quo necessariò Virgo quoque à Davide oriunda esse per consecutionem intelligitur; quique præcellenti ex ipsâ miraculo genitus est Christus, prææternus ille Patris Filius. Ac quisquis his adversari nititur, adversùs seipsum potiùs linguæ mucronem acuere conatur: atque is à sacrosanctis nostræ caulæ portis foràs projiciatur. Nobis autem, ad quos Dei Verbum missum est ipse gratia et veritas, nihil ultrà ea quæ à nobis dicta sunt perscrutari liceat..... Quamobrem, ô Judæe, eorum, quæ commemoravimus, vim intellige: nec adversùs veritatem velis certare. Ancipitem mentem abjice, ac citrà ullam dubitationem, gratiâ erudire; per quam fiet ut jugi illius, quo te

Digitized by Google

litteræ cortex incurvat, vinculis eximaris. Aufer velamen : puram eorum quæ scripta sunt lucem excipe. Umbras præteri, ac figuras relinque.

℟. Suscepit Deus Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ ; * Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. ℣. In me ancillâ suâ adimplevit Dominus misericordiam suam. Sicut.

Lectio vj.

AUdiamus dicentem Davidem : *Deus manifestè veniet.* Undè tandem veniet? ac quonam modo? E cœlo, ac instar nostrî. E cœlo quidem, incorporeo modo : instar autem nostrî, hoc est, in habitu et naturâ, ac formâ nostræ simili. Hoc autem quî tandem fieri queat, nisi incarnato Deo ? neque enim fieri poterat, ut Deus purâ et nudâ divinitate cerneretur, nisi nostræ massæ adnexus, per humanitatis unionem instar nostrî fieret, excepto duntaxat peccato. Itaque figmenti Dominus, totius figmenti causâ cum figmento copulatur, ut salutem figmento comparet. Ubinam hoc, et quo tempore? In Virginis utero, et in fine temporum; tùm scilicet cùm David eùm venturùm prædixerat. Atque hoc est quod lætis animis celebramus : nempè Virginis nativitas, festorum anteambulo, mysterii Christi præludium. Oportebat enim priùs palatium parari, atque ita Regem adesse. Oportebat priùs contexi regias fascias, atque ità demùm regium infantem in lucem edi. Denique priùs oportebat argillam misceri, ac tùm figulum præstò esse.

Digitized by Google

℟. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo; * Quia induit me vestimentis salutis, quasi sponsam ornatam monilibus suis. ℣. Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

Ex Serm. 8. *de Nativit. Domini. Cap.* 2.

CElebrantes, Dilectissimi, natalem diem Domini Salvatoris, partum beatæ Virginis integrè cogitemus; ut carni, animæque conceptæ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuisse credamus: nec priùs formatum, atque animatum templum Corporis Christi, quod sibi superveniens vendicaret habitator, sed ipsum, et in ipso homini datum esse principium: ut in uno Dei atque hominis Filio, et sine matre Deitas, et sine patre esset humanitas. Simul enim per Spiritum sanctum fœcundata virginitas, sine corruptionis vestigio edidit, et sui generis sobolem, et suæ sirpis auctorem.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi; qui pascitur inter lilia. * Pulchra es amica mea; suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut cas-

Digitized by Google

trorum acies ordinata. ℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt. Pulchra es.

Lectio viij. Cap. 4. et 5.

FIdes igitur catholica oblatrantium hæreticorum spernat errores, qui mundanæ sapientiæ vanitate decepti, à veritatis Evangelio recesserunt, et incarnationem Verbi intelligere non valentes, de causâ illuminationis fecerunt sibi materiam cæcitatis..... Sed de iis potissimùm erroribus declinandis observantiam vestræ devotionis admoneo, quorum unus dudum Nestorio auctore consurgere non impunè tentavit; alius nuper pari execratione damnandus Eutyche assertore prorupit. Nam ille Beatam Mariam Virginem tantummodò ausus est prædicare hominis genitricem, ut conceptu ejus et partu, nulla Verbi et carnis facta unitio crederetur: quia Dei Filius non ipse factus sit hominis Filius, sed creato homini solâ se dignatione sociaverit. Quod Catholicæ aures nequaquàm tolerare potuerunt, quæ sic Evangelio veritatis imbutæ sunt, ut firmissimè noverint, nullam esse humano generi spem salutis, nisi ipse esset filius Virginis, qui creator est Matris.

℟. Extollens vocem mulier de turbâ dixit ad Jesum: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quin imò, * Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud. ℣. Immortalitas est in cognatione sapientiæ; et præclaritas in communicatione sermonum ipsius. Beati. Gloria Patri. Beati.

Digitized by Google

Lectio ix.

Hic autem recentioris sacrilegii prophanus assertor, unitionem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed ipsâ unitione id dixit effectum ut ex duabus una remaneret, nullatenùs alterius existente substantiâ; quod utique fieri nisi, aut consumptione, aut separatione non posset. Hæc verò tam inimica sunt sanæ fidei, ut nequeant recipi sine excidio nominis Christiani. Si enim Verbi incarnatio non unitio est divinæ humanæque naturæ, sed hoc ipso concursu, quod erat geminum factum est singulare, sola divinitas utero virginis nata est, et per ludificatoriam speciem sola subiit nutrimenta et incrementa corporea. Utque omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, sola divinitas crucifixa, sola divinitas mortua, sola divinitas est sepulta: ut jam secundùm talia sentientes, sperandæ resurrectionis nulla sit ratio; nec sit primogenitus ex mortuis Christus; quia non fuit, qui deberet resuscitari, si non fuit, qui posset occidi.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Ant. Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jeru-

Digitized by Google

salem : ideò dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hyems transiit : imber abiit et recessit. Surge, amica mea, et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam; et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

HYMNUS.

O Gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus:
℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Benedictus.

Antiph. Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritûs sancti, sola sine exemplo placuisti Do-

Digitized by Google

mino nostro Jesu Christo. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fœmineo sexu.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetuâ mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosâ beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitiâ, et æternâ perfrui lætitiâ. Per Dominum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. Læva ejus.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi.

℟. *br.* Specie tuâ, * Et pulchritudine tuâ. Specie tuâ. ℣. Intende, prosperè procede, et regna. Et pulchritudine tuâ. Gloria Patri. Specie tuâ.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo.
℟. Deus in medio ejus; non commovebitur.

AD SEXTAM.

Ant. Nigra sum.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

ET sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo ho-

Digitized by Google

norificato, et in parte Dei mei hæreditas illius; et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus; non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

AD NONAM.

Ant. Speciosa.

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

IN plateis sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. *br.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit eam. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis :

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Digitized by Google

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO MENSE OCTOBRI.

Omnia ut in Sabbatis mensis Septembris, p. 457, *exceptis lectionibus, quæ in primo nocturno erunt de Scripturâ occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Gregorii Nysseni.

Ex Orat. XV. in diem natalem D. N. J. C. antè medium.

Lectio iv.

AUdis Esaïam clamantem : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.* Disce ab eodem propheta quomodò natus sit puer, quomodò datus sit filius. Num juxtà naturæ legem? Minimè verò, inquit : legibus enim naturæ non paret, qui naturæ Dominus est. Quomodò igitur natus est puer? dic. *Ecce* inquit, *Virgo in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus : Emmanuel.* Quod, si interpreteris, significat, *Nobiscum Deus.*

℣. Concupiscet. p. 460.

Lectio v.

ORem admirandam ! Virgo mater efficitur, et permanet Virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quandiù aliqua est virgo, non est mater. Nam, posteaquàm est facta mater, virginitatem non habet. Hîc autem utrumque nomen in idem concurrit. Eadem

Digitized by Google

Eadem enim, et mater, et virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim, ut qui in vitam humanam introibat, ut homines integros incorruptosque servaret, ab incorruptâ sibi deserviente integritate initium duceret. Nam hominum consuetudo expertem connubii incorruptam appellat.

℟. Suscepit Deus. p. 461.

Lectio vj.

HOc mihi antè magnus ille Moyses, per eam lucem in quâ sibi Deus apparuit, videtur cognovisse; qui, cùm rubus arderet, nec tamen consumeretur; Transiens enim, inquit, videbo visionem hanc magnam: non loci motum, ut arbitror, per transitum declarans, sed temporis transitum. Quòd enim tunc per flammam et rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuè in mysterio Virginis apertum fuit. Quemadmodùm enim illic est rubus, et accendit ignem, et non comburitur; ita hîc est Virgo, quæ lucem parit, et non corrumpitur.

℟. Gaudens gaudebo. p. 462.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11.

IN illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter qui te portavit. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. XX. in Cap. 2. Joann.

Quæ est, inquit, *mater mea, et fratres mei?* Non quòd Matrem contemneret: Absit. Sed ut maximæ utilitati consuleret, neque occasionem daret ut de se ipso abjectum aliquid conjectaretur. Nam si aliorum curam habebat, et dignâ se opinione illos imbuere moliebatur, longè magis id in Matre curasset. Cum enim consentaneum sit, Mariam, utpotè Matrem, priores sibi partes vindicasse; ideò matrem venisse nunciantibus ita respondit; neque aliter illam ex humili ad illam altitudinem erexisset, si semper tanquàm à filio honorari existimasset, et non tanquàm Dominum habuisset..... Curæ enim ipsi erat maternus honor; sed longè magis animarum salus, et commune in multos beneficium, cujus gratiâ humanam carnem accepit.

℣. Dilectus meus. p. 462.

Lectio viij.

VErùm cùm audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti; deinde ipsum respondentem: Quin imò, Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: eâ sententiâ dictum existima, non quòd Matrem negligeret, sed ut nihil ei utilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate et fide præstaret. Quòd si Mariæ nihil sine interiori virtute proderat Christum ex eâ natum esse, longè minus nobis, qui longè ab istâ virtute adsumus, patris, matris, fratris, filii bonitas prodesse potest, nisi aliquid nostrum afferamus. In

Digitized by Google

nullo namque alio, nisi in solis bonis operibus, post divinam gratiam, de salute cuipiam sperandum est.

℟. Extollens. p. 463.

Lectio ix.

NAm si id profuturum erat per se Mariæ, profuisset etiam Judæis, quorum consanguineus erat Christus secundùm carnem: profuisset civitati in qua natus est: profuisset fratribus. Atqui dùm fratres rerum suarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, sed cum reliquo mundo damnati erant..... Verùm Apostoli ante omnes clarissimi evaserunt, cùm se ad veram et expetendam ejus familiaritatem, consuetudinemque per obedientiam contulerunt. Hinc intelligimus fide semper nobis opus esse, et vitâ, quæ virtutibus luceat. Hoc dumtaxat salvos nos facere poterit.

Te Deum laudamus.

Officium B. Mariæ in Sabbato,

PRO MENSE NOVEMBRI,

Suppletur Festo VITÆ INTERIORIS *B. Mariæ Virginis, quod celebratur in Sabbato ante Dominicam XXIV et ultimam post Pentecosten.* Duplex majus.

* *Si festum Præsentationis B.M.V. occurrat in Sabbato, tunc officium Vitæ interioris recitabitur Sabbato præcedenti, die 14 Novembris. Quando autem in Sabbato ante Dominicam II.*

Digitized by Google

Novembris inciderit festum S. Andreæ Avellini, Conf., vel S. Martini, Papæ, vel S. Didaci, Conf.; tunc, iisdem festis translatis, fiet de S. Maria in Sabbato, resumptis lectionibus de mense Octobri.

AD VESPERAS.

Antiphona.

AUdivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei.

Psalmi consueti de B. M. V.

Ant. Hæc est domus Dei; talis ut in cunctis regionibus nominetur.

Ant. Elevavit me spiritus, et introduxit me in atrium interius: et ecce repleta erat gloriâ Domini domus.

Ant. Nihil erat in templo quod non auro tegeretur; et perfecta est domus in omni opere suo.

Ant. Vir qui stabat juxtà me, dixit ad me: Fili hominis, locus solii mei ubi habito, tu ostende domui Israel Templum.

CAPITULUM. *Philipp. 4.*

QUæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.

Digitized by Google

HYMNUS.

HYmnis alta sacris templa resultent:
Vestros, ô superi, jungite cantus.
Cœli dives adest munere Virgo
Extolli modulis digna supernis.
Hæc augusta novi fœderis arca
Antiquo melius manna recondit.
Lex perfecta latet corde sub imo,
Supremi digito scripta Tonantis.
Sanctum te, Genitrix, Flamen obumbrans
Quo non interiùs te litat igne!
Adstans virginei pectoris hospes
Urit tecta suis hospita flammis.
Et tu, quanta Deo dona rependis!
Natum casta paris sponsa Parentis.
Verbum carne tegis Mater, et intùs
Templum Spiritui, Virgo ministras.
O! quot supplicibus fervida votis
Ultrices reprimis numinis iras!
Quidquid grande potest tradere numen,
Matri Natus amans tradit amanti.
Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui gloria sancto.
Quos in corde foves Virginis æstus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

℣. Elegit eam Dominus, Alleluia;
℟. In habitationem sibi. Alleluia.

Ad Magnificat.

Antiph. Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, crescit in templum sanctum in Domino; in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei, in spiritu. Alleluia.

Digitized by Google

ORATIO.

DEus, qui Beatam Mariam semper Virginem Spiritualibus donis gratiæ cumulando, eam imagini Filii tui mirabiliter conformem fecisti; concede, ut fideli virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

INVITAT. Deum, in quo exultavit spiritus Mariæ, * Venite, adoremus.
Psalm. Venite, exultemus.

HYMNUS.

HIc adsta docilis, gens sacra Christo;
Audi, docta datur Virgo magistra;
Factis corda suis erudit intùs,
Et virtutis iter prævia monstrat.
Fervet mille modis pectoris æstus;
Dùm fit grata Deo, fit sibi vilis.
Quæ Regem Superûm concipit alvo,
Ancillæ titulo læta superbit.
Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui gloria sancto.
Quos in corde foves Virginis æstus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Cùm esset junior, nihil puerile gessit in opere; sed adorabat Dominum Deum Israel.

Digitized by Google

Psalmi nocturnorum, ut in officio parvo.

Ant. Fecit sibi secretum cubiculum in quo clausa morabatur; et jejunabat omnibus diebus vitæ suæ.

Ant. Magna facta est, et præclarior universæ terræ : erat virtuti castitas adjuncta.

℣. Pars mea Dominus, dixit anima mea:

℟. Bonus est Dominus animæ quærenti illum.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 24.

EGo ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi; in fluctibus maris ambulavi, et in omni terrâ steti : et in omni populo, et in omni gente primatum habui : et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsivi : et in hæreditate Domini morabor.

℟. Ingressus Angelus Gabriel ad Mariam, dixit : Ave, gratiâ plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Quæ * Cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. ℣. Gratia verecundiæ mulieris sensatæ et bonæ super aurum. Cùm audisset.

Lectio ij.

TUnc præcepit, et dixit mihi Creator omnium : et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob in-

Digitized by Google

habita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sanctâ coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificatâ similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Deus noster in me ancillâ suâ adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel : * Et interfecit in manu meâ hostem populi sui. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est. Et interfecit.

Lectio iij.

QUasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxtà aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris : et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus.

℟. In Domino laudabitur anima mea : * Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum. ℣. Magnificat anima mea Dominum. Magnificate. Gloria Patri. Magnificate.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Ant. In bonitate et alacritate animæ suæ placuit Deo.

Ant. Cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.

Ant. Pudica est, plena misericordiâ, et fructibus bonis.

℣. Dilectus meus electus ex millibus:

℟. Ipse est amicus meus, Filiæ Jerusalem.

Sermo S. Gregorii Nysseni.

Ex orat. XV. in diem natalem D. N. J. C. post medium.

Lectio iv.

TUnc ad Virginem missus est Gabriel, qui ei divinæ voluntatis arcanum aperiret. His autem faustissimis verbis usus est : *Ave, gratiâ plena : Dominus tecum.* Contraria hæc est oratio illis vocibus quas prima mulier audivit. Tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est. Nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur. In illâ molestiæ partum præcesserunt. Huic partum lætitia prænuntiat. Ne timeas, inquit, quoniam omnibus mulieribus timorem affert partûs expectatio ; dulcis partûs promissione timor eximitur. *In utero*, inquit, *concipies et paries filium ; et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

℟. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. * Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum. Quando veniam, et apparebo ante fa-

Digitized by Google

ciem Dei? ℣. Quæ retrò sunt obliviscens, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei. Sitivit.

Lectio v.

QUid autem Maria? Audi pudicam Virginis vocem. Angelus partum nunciat. At illa virginitati inhæret, et integritatem angelicæ demonstrationi anteponendam judicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi consuetudine viri. *Quomodò istud erit mihi, quoniam virum non cognosco?*..... Quid ad hæc auspex Gabriel? Quem thalamum statuit puro impollutoque connubio? *Spiritus*, inquit, *sanctus superveniet in te; et virtus altissimi obumbrabit tibi.*

℟. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: * Quia indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis. ℣. Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia.

Lectio vj.

O Beatum uterum illum, qui bonitatis ac puritatis præstantiâ ad se traxit animi bona! In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritûs sancti præsentiam capit. Hîc autem caro fit Spiritûs receptaculum. Sed et *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Quid significat arcanus hic sermo? Christus *Dei Virtus* est, et *Sapientia*, ut ait Apostolus. *Virtus igitur altissimi*, quæ Christus est, per adventum Spiritûs sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim umbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, sic forma et indicium divinitatis Dei in virtute ipsius qui pa-

Digitized by Google

ritur, ostendetur; et imago, et signum, et adumbratio, et splendor exemplaris per admirabilem rerum effectionem demonstrabitur.

℟. Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus : * Deus in medio ejus; non commovebitur. ℣. Impletum est à majestate Dei, et de virtute ejus. Deus. Gloria Patri. Deus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Tu scis, Domine, quòd numquàm lætata sit ancilla tua, nisi in te.

Ant. Non extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, incorruptibilitate quieti et modesti spiritûs.

Ant. Licet his qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intùs est renovatur de die in diem.

℣. Anima mea exultabit in Domino;

℟. Et delectabitur super salutari suo.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 1.

IN illo tempore : Exclamavit voce magnâ Elizabeth, et dixit ad Mariam : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbiteri.

Inter æstiv. de Sanctis.

Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quæ cùm omnibus perfectis verba conveniant, maximè tamen ea beatam Dei genitricem proferre decebat; quæ meriti privilegio singula-

Digitized by Google

ris, spirituali ipsius dilectione flagrabat, cujus corporali conceptione gaudebat. Quæ jurè in Jesu, id est in salvatore suo, speciali præ cæteris Sanctis gaudio potuit exultare : quia quem perpetuum salutis authorem noverat, hunc ipsum et temporali ortu, de carne suâ nasciturum esse sciebat : quatenùs in unâ eâdemque personâ veraciter et suus filius esset et Dominus.

℟. Nomen Domini spes ejus; * Et non respexit in vanitates, et insanias falsas. ℣. Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Et non.

Lectio viij.

QUàm vilia de seipsâ senserit, edocet; et quòd omne quidquid boni meriti habuit, hoc supernâ gratiâ largiente perceperit, dicens : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Humilem quippè Christi ancillam suo judicio se fuisse demonstrat; sed respectu gratiæ cœlestis repentè sublimatam pronuntiat, atque in tantùm glorificatam, ut sua beatitudo præcipua meritò cunctarum gentium voce miretur.

℟. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs : * Adducentur Regi virgines post eam in lætitiâ et exultatione; adducentur in templum Regis. ℣. Unus de Angelis locutus est mecum, dicens : Veni, et ostendam tibi Sponsam habentem claritatem Dei. Adducentur. Gloria Patri. Adducentur.

Lectio

Digitized by Google

Lectio ix.

ADdidit etiam, divinæ pietatis munera, quæ mirabiliter accepit, dignâ gratiarum actione collaudans : *Quia fecit mihi magna qui potens est; et sanctum nomen ejus.* Nihil ergo suis meritis tribuit, quæ totam suam magnitudinem ad illius donum refert, qui essentialiter potens et magnus existens, fideles suos de parvis atque infirmis fortes facere consuevit et magnos.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Antiphona.

VUlnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

Ant. Favus distillans labia tua; mel et lac sub linguâ tuâ : et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Tota pulchra es, et macula non est in te.

Ant. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Vivo, jam non ego; vivit verò in me Christus, qui dilexit me.

Ant. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

Ant. Majorem non habeo gratiam quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.

CAPITULUM. *II. Paral.* 30.

TRadite manus vestras Domino, et venite ad Sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum.

Digitized by Google

HYMNUS.

UNum scire Deum spiritus ardet,
In se totus abit, non vagus extrà;
Illibata timet Virgo videri,
Abscondique suis ædibus ambit.
Secretâ placidæ mentis in aulâ
Audit blanda Dei verba loquentis.
Pro verbis, tacitos, quos Deus afflat,
De puro gemitus corde rependit.
Sponso casta suo Sponsa, fidele
Hîc dat perpetui pignus amoris:
Hîc desideriis icta supernis,
Mens jam pasta Deo præripit astra.
Sit laus summa Patri, summaque Nato
Compar Spiritui gloria sancto.
Quos in corde foves Virginis æstus
Nostris, alme Deus, cordibus infer.
Amen.

℣. Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum,

℟. Quanta fecit animæ meæ.

Ad Benedictus.

Antiph. Una est columba mea, perfecta mea; una est matris suæ. Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt.

ORATIO.

DEus, qui Beatam Mariam semper Virginem spiritualibus donis gratiæ cumulando, eam imagini Filii tui mirabiliter conformem fecisti; concede, ut fideli virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit.

Digitized by Google

AD TERTIAM.

Ant. Favus distillans.

CAPITULUM. *Philipp. 4.*

QUæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate. Quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.

℟. *br.* Pars mea Dominus, * Dixit anima mea. Pars mea. ℣. Bonus est Dominus animæ quærenti illum. Dixit. Gloria Patri. Pars mea.

℣. Dilectus meus electus ex millibus;

℟. Ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

AD SEXTAM.

Ant. Ego dilecto.

CAPITULUM. *Cant.* 8.

PONe me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio.

℟. *br.* Dilectus meus * Electus ex millibus. Dilectus. ℣. Ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem. Electus. Gloria Patri. Dilectus.

℣. Anima mea exultabit in Domino;

℟. Et delectabitur super salutari suo.

AD NONAM.

Ant. Majorem.

Digitized by Google

CAPITULUM. *Eccli.* 24.

QUasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam; et quasi balsamum non mixtum odor meus.

℟. *br.* Anima mea * Exultabit in Domino. Anima mea. ℣. Et delectabitur super salutari suo. Exultabit. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius;
℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

IN II. VESPERIS.

Antiphonæ, Psalmi, et Capitulum, ut in primis Vesperis.

HYMNUS.

QUalis, Virgo, tibi gloria surgit!
Æterni soboles diva Parentis,
En illapsa tuam cœlitùs alvum
Mollis membra sibi corporis aptat.
O felix! leviter quam gravat intùs
Ipsum numen onus, Virgo colenda,
Quæ nutrice parens ubere lactat
Natum quo geminus pascitur orbis.
Quo non interiùs fervet amore,
Quæ fontem peperit mater amoris!
Nato blanda frequens oscula figit;
Et maternus amor crescit amando.
Quotquot de puero celsa feruntur,
Attentâ genitrix arripit aure.
Laudes sub memori pectore servat;
Applaudensque sibi complacet intùs.

Digitized by Google

In Matrem resilit gloria Nati:
In Natum resilit gloria Matris.
O quàm cara Deo, quam Deus ipse
Consortem proprii reddit honoris!
Laus summæ Triadi quæ sibi sacra
Pectus virgineum templa dicavit.
Quo vult te, Genitrix, Natus amari,
Te mens nostra colat semper amore.
Amen.

℣. Anima mea exultabit in Domino;
℟. Et delectabitur super salutari suo.

Ad Magnificat.

Antiph. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui B. Mariam, etc. *ut suprà in Laudibus.*

Commemoratio de Sacratissimo Corde B. Mariæ Virginis, addenda in festo Sacratissimi Cordis Jesu.

IN I. VESPERIS.

Antiph. Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo; quia fecit mihi magna qui potens est.

℣. Paratum Cor meum, Deus; paratum Cor meum.

℟. Cantabo, et psalmum dicam.

Digitized by Google

AD LAUDES.

Antiph. Testis est mihi Deus, quomodò cupiam vos omnes in visceribus Jesu-Christi, eo quòd habeam vos in Corde, socios gaudii mei.

℣. Tribuat tibi Dominus secundùm Cor tuum;

℟. Et omne consilium tuum confirmet.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Cor nostrum dilatatum est : non angustiamini in nobis : tanquàm filiis dico, dilatamini et vos.

℣. Cor meum et caro mea,

℟. Exultaverunt in Deum vivum.

ORATIO.

DEus, qui Cor et mentem Beatæ Mariæ semper Virginis spiritualibus gratiæ donis cumulando, eam imagini Filii tui perfectè conformem effecisti; concede ut fideli virtutum ejus imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit.

ABsolutis tandem propriis Ecclesiæ Massiliensis Officiis, quædam circà eadem, majoris elucidationis gratiâ, visum est adnotare; nempè I. Quos ex Breviario Romano hymnos officiis nostris inseri contigit, iidem juxtà correctionem Urbani VIII. inserti sunt:

Digitized by Google

Reliqui omnes, ut in singulis festis, ex probatis auctoribus excerpti, reperiebantur, vel ad propria officia concinnati fuerant, debita approbatione muniti, adjuncti sunt. II. Longiores psalmi per nocturnorum antiphonas divisi sunt et distincti, vel ex iisdem ea tantùm pars exscripta est quæ magis ad officii scopum et sensum attinebat. III. Psalmi in Laudibus non semper sunt indicati. Cùm enim in proprio Diœcesis non alia contineantur officia nisi festorum, psalmi sunt semper ut in festis, Dominus regnavit, *cum reliquis. IV. Ne sæpius omittatur sacrarum litterarum fructus et instructio, passim in duplicibus majoribus lectiones primi nocturni, de scripturâ occurrente sunt assignatæ.*

Si quæ aliæ sunt Rubricæ, vel omissæ, vel non satis expressæ, eas ordo divini officii supplebit, aut declarabit.

FINIS.

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 8 *lin. ult.* auditus	auditu
—— 36 —— 10 querit	quærit
—— 349 —— 6 occulos	oculos
—— 351 —— 8 commitunt	committunt
—— 353 —— 27 pesecutionem	persecutionem
—— 376 *Lect. iv.* in veniaturà	inveniatur à

Digitized by Google

INDEX

Festorum et Officiorum, quæ in hoc proprio Diœcesis libro continentur.

PARS HYEMALIS.

Die 17 Decembris. Natalis S. Lazari, primi Massiliæ Episcopi et Martyris. *Duplex II. classis*, pag. 1

Die 24 Januarii. Translatio S. Victoris, Martyris Massiliensis. *Duplex*, 16

Die 28 ejusdem. S. Timothei, Episcopi et Martyris. *Semiduplex, ut in breviario, die 24 Januarii*, 26

Die 3 Februarii. S. Theodori Episc. Massil. *Duplex majus*, 27

Die 22 ejusdem. Cathedra S. Petri Antiochiæ. *Duplex II. classis, in hac Diœcesi*, 40

Die 1 Martii. SS. Adriani et Hermetis Martyrum Massiliensium. *Duplex*, *ibid.*

Officium S. Mariæ in Sabbato pro mense Decembri, *Sub ritu semiduplici*, 44

Pro mense Januario, 55

Pro mense Februario. 64

Digitized by Google

PARS VERNA.

Officium SS. Quinque Plagarum D. N. Jesu-Christi. *Duplex majus*, *pag.* 73
Officium S. Spineæ Coronæ D. N. Jesu-Christi. *Duplex majus*, 100
Officium S. Faciei Christi in Passione deformatæ. *Duplex majus*, 114
Officium Pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu-Christi. *Duplex majus*, 128
Feria VI antè Dominicam Passionis. Resurrectio S. Lazari. *Duplex II. classis*, 142
Dominicâ III. post Pascha. Patrocinium S. Joseph, Confessoris. *Duplex majus*, 159
Die 5 Maii. Inventio Reliquiarum S. Mariæ Magdalenæ. *Duplex*, 168
Die 11 ejusdem. S. Pii V. Papæ, *Semiduplex, ut in Breviario, die 5 Maii*, 175
Officium S. Mariæ in Sabbato pro tempore Quadragesimæ, 176
Pro tempore Passionis, 187
Pro tempore Paschali, 198

PARS ÆSTIVA.

Feriâ III infrà octavam Corporis Christi. Festum Sacerdotii. *Duplex majus*, 205

Digitized by Google

Feriâ VI post octavam Corporis Christi. Festum Sacratissimi Cordis D. N. J. C. *Duplex I. classis*, *pag.* 221

Octava Sacratissimi Cordis, et Festum vitæ interioris D. N. J. C. *Duplex majus*, 267

Die 8 Junii. S. Maximini, primi Episcopi Aquensis. *Duplex*, 283

Die 2 Julii. Visitatio B. Mariæ Virginis. *Duplex II. classis*, *in hac Diœcesi*, 285

Die 21 Julii. SS. Victoris et Sociorum, Martyrum Massiliensium. *Duplex II. classis*, *ibid.*

Die 22 ejusdem. S. Mariæ Magdalenæ, *Duplex II. classis*, *in hac Diœcesi*, 301

Die 23 ejusdem. S. Joannis Cassiani, Abbatis S. Victoris. *Duplex*, *ibid.*

Die 24 ejusdem. S. Apollinaris, Episc. et Mart. *Duplex*, *ut in Breviario*, *die* 23 *Julii*, 304

Die 29 ejusdem. S. Marthæ, Virginis. *Duplex II. classis*, *in hac Diœcesi*, *ibid.*

Die 2 Augusti. B. Alphonsi de Ligorio, Episc. et Confess. *Duplex*, 305

Die 9 ejusdem. S. Sereni, Episcopi Massiliensis et Confessoris. *Duplex majus*, 309

Die 16 ejusdem. S. Rochi, Confess. *Duplex majus*, 312

Die 19 ejusdem. S. Ludovici, Episcopi Tolosani et Confessoris. *Duplex*, 316

Digitized by Google

Die 26 ejusdem. S. Hyacinthi, Confessoris. *Duplex, ut in Breviario, die* 16 *Augusti, pag.* 320

Officium S. Mariæ in Sabbato, pro mense Junio, 320

Pro mense Julio, 330

Pro mense Augusto, 333

PARS AUTUMNALIS.

Die 31 Augusti. Solemnitas S. Lazari, primi Massiliensis Episcopi et Mart. *Duplex I. classis*, 337

Dominicâ infrà octavam S. Lazari. Festum omnium SS. Episcoporum Massil. *Duplex II. classis*, 362

Die 22 Septembris. S. Laurentii Justiniani, Episc. et Conf. *Semiduplex, ut in Breviario, die* 5 *hujus*, 400

Die 25 ejusdem. SS. Defendentis et Soc. Martyrum. *Duplex*, *ibid.*

Die 26 ejusdem. S. Thomæ de Villanova, Episc. et Confess. *Semiduplex, ut in Breviario, die* 18 *vel* 22 *Septembris*, 403

Die 3 Octobris. S. Cypriani, Episcopi Telonensis et Confessoris. *Duplex*, 404

Die 11 ejusdem. SS. Eusebiæ et Sociarum ejus, Virg. et Mart. *Duplex*, 407

Digitized by Google

Die 15 ejusdem. S. Cannati, Episcopi Massiliensis et Confessoris. *Duplex majus*, *pag.* 410

Die 16 ejusdem. S. Theresiæ, Virginis. *Duplex*, *ut in Breviar. Rom.*, *die* 15 *Octobris*, 423

Die 21 ejusdem. S. Maurontis, Episcopi Massiliensis et Confessoris. *Duplex majus*, *ibid.*

Die 22 ejusdem. SS. Ursulæ et Sociarum ejus, Virg. et Mart. *Duplex*, 426

Dominicâ infrà octavam Sanctorum omnium. Festum omnium SS. Diœcesis. *Duplex II. classis*, 429

Die 8 Novembris. Festum Repositionis Sacrarum Reliquiarum. *Duplex majus*, 449

Officium S. Mariæ in Sabbato pro mense Septembri, 457

Pro mense Octobri, 468

Pro mense Novembri. Festum vitæ interioris B. Mariæ Virginis. *Duplex majus*, 471

Finis indicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google